Pamph.
Gk. Lit
Hist.
K.

DE TRIBUS CARMINIBUS PAPYRI PARISINAE MAGICAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
REGIMONTANO
RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

BRUNO KUSTER
GILLISCHKENSIS



REGIMONTII
EX OFFICINA HARTUNGIANA
1911

Gedruckt mit Genehmigung
der philosophischen Fakultät der Kgl. Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Prof. Dr. R. Wuensch.

RICARDO WUENSCH

S

Praefatio

Postquam anno 1788 Nicolaus Schow primam papyrum Graecam in Aegypto repertam edidit,[1]) in dies magis magisque — imprimis altera parte proximi saeculi — terra ad lucem novos chartarum thesauros misit, qui perpetua caeli Aegyptii siccitate paene integri per annorum seriem temporumque fugam sunt servati. Quorum non parvum numerum efficiunt papyri magicae, quae etsi plerumque vastas farragines superstitionis variae continent, tamen eaedem magni pretii sunt.[2]) Gravissimi vero sunt hymni, quos in prosam orationem insertos extemplo viri docti cognoverunt; qui respiciantur et recipiantur in litteras Graecas digni sunt. Itaque eos colligere denuoque tractare operae pretium est. Sed antequam de hymnis ipsis singulisque versibus agetur, nonnulla de papyris magicis imprimis de papyro Parisina praemittere necesse est. Sunt autem papyri magicae hae:

a) Papyri Berolinenses:

1. pap. Berol. I, ed. G. Parthey, 'Zwei griechische Zauberpapyri des Berliner Museums'

---

1) cf. G. Parthey, Abhandl. d. Berl. Akad., 1865, p. 109.

2) cf. L. Deubner, 'de incubatione capita quattuor', Lips. 1900, p. 21 adn. 1: '(papyri magicae) e quibus omnino incredibile est, quantum hauriri possit materiae' et A. Dieterich, 'Eine Mithrasliturgie', Lips.[2] 1910, p. 27: „Ich wünschte, sie (sc. viri docti) wüssten, wieviel Schätze in diesen so abschreckenden Schutthaufen verborgen liegen."

in: Abhandlungen der Königl. Akademie der Wissenschaft. zu Berlin, 1865, p. 120 sq.

2. pap. Berol. II ibidem, p. 150 sq.

b) Papyri Leidenses:

3. pap. mus. Lugd. Batavi J 384 (V), ed. C. Leemans in papyrorum Graeci musei antiq. publ. Lugd. Bat. tom. II 1885, p. 10 sq.; denuo ed. commentario critico instruxit prolegomena scripsit A. Dieterich in: Jahrbücher für klass. Philologie (ed. A. Fleckeisen) vol. suppl. XVI (1888) p. 749 sq.

4. pap. mus. Lugd. Bat. J 395 (W), ed. C. Leemans l. c. p. 83 sq.; denuo ed. A. Dieterich 'Abraxas. Studien zur Religionsgeschichte des spätern Altertums.' Leipzig. 1891, p. 167 sq.

c) Papyri Parisinae:

5. pap. Par. bibl. nat. suppl. gr. 574, ed. C. Wessely, 'Griechische Zauberpapyrus von Paris und London', in: Denkschriften der Kaiserl. Akademie der Wissenschaften zu Wien; phil. hist. Classe XXXVI (1888) p. 44 sq.[1])

6. pap. Mimaut du Louvre no. 2391; ib. p. 133 sq.[2])

---

1) pap. Par. denuo edidit vs. 475—834 A. Dieterich in libro, qui inscribitur: 'Eine Mithrasliturgie'; porro seriem locorum idem vir doctus in 'Abraxas' (vid. p. 215: 'Register der edierten Stücke der Pariser und Londoner Zauberpapyri'); vs. 1390—1495; 2891—2936; 2943—2966 ed. L. Fahz, 'de poetarum Romanorum doctrina magica' in: Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten II 3 (1904) p. 128 sq.

2) ad papyrum Parisinam et papyrum Mimaut praebet addenda et corrigenda dissertatio Wesseliana 'Zu den griechischen Papyri des Louvre und der bibliothèque nationale', k. k. Staatsgymnasium Hernals 1888/9; cf. etiam R. Novossadsky,

d) Papyri Londinenses:

7. pap. musei Britannici XLVI (Anastasy); ib. p. 127 sq. et F. G. Kenyon, 'Greek Papyri in the British Museum' London (1893) Facs. I, p. 36—49; Cat. with Texts vol. I, p. 64 sq.
8. pap. mus. Brit. XLVII (Anastasy 5), ed. C. Wessely p. 149 sq. et Kenyon l. c. Facs. I, p. 50; Texts I, p. 81 sq.
9. pap. mus. Brit. CXXI, ed. C. Wessely, 'Neue griechische Zauberpapyri' in: Denkschriften d. Kaiserl. Akademie d. Wissenschaften zu Wien; phil. hist. Cl. XLII (1893) p. 16 sq. et Kenyon l. c. Facs. I, p. 51 usque ad 65; Texts I, p. 83 sq.[1])
10. pap. mus. Brit. CXXII, ed. Wessely ib. p. 35 sq. et Kenyon l. c. Facs. I, 66—67, Texts I, p. 115 sq.
11. pap. mus. Brit. CXXIII, ed. Wessely ib. p. 60 sq. et Kenyon ib. Facs. I, p. 68, Texts I, p. 120 sq.
12. pap. mus. Brit. CXXIV, ed. Wessely ib.

'ad papyrum magicam bibliothecae Parisinae nationalis adnotationes palaeographicae' in: Journal des Russischen Ministeriums für Volksaufklärung 1895, vol. 302, p. 81—87.

1) Complures partes pap. mus. Brit. CXXI tractavit L. Fahz l. l. p. 130 sq.; nonnulla suspicatur Gu. Crönert, 'adnotamenta in papyros musei Britannici Graecas maximam partem lexicographia' in: Classical Review XVII (1903) p. 26 sq. et 'Zur Kritik der Papyrustexte' in: Studien zur Palaeographie und Papyruskunde (ed. C. Wessely) vol. IV. Praeterea inveniuntur partes ex omnibus papyris depromptae apud Ricardum Reitzenstein, 'Poimandres' Leipzig. 1904; apud A. Abt, 'Die Apologie des Apuleius von Madaura und die antike Zauberei' in: RGVV IV 2 (1907/8); apud E. Kuhnert, 'Feuerzauber' in museo Rhen. IV (1894) p. 37 sq.

p. 63 sq. et Kenyon ib. Facs. I, p. 69, Texts I, p. 121 sq.

13. pap. mus. Brit. CXXV, ed. Kenyon ib. Facs. I, p. 70—71, Texts I, p. 123 sq.

e) Papyri Vindobonnenses:[1])

14—25. R. I—XII., ed. C. Wessely in: Denkschriften XLII p. 65—72.

Hae papyri magicae in Aegypto repertae sunt, in qua terra ars magica antiquitus est domestica;[2]) iam antiquissimis temporibus apud Aegyptios religio et ars magica artissime coniunctae sunt, quin etiam cultus divinus et magicus unus idemque erat. Cum vero Alexander Magnus[3]) hanc terram expugnavisset omnibusque gentibus aperuisset et Alexandria non solum commercii sed etiam studiorum litterarumque centrum fieret, in quam urbem elementa Iudaica Babylonica Graeca convenerunt, quae inter se commiscebantur et novas disciplinas philosophiae religionis superstitionis efficiebant, non mirum erat etiam res Aegyptiacas recipi et cum religione rem magicam suscipi. Ita factus est quem dicimus gnosticismus; qua in re internoscenda est gnosis philosophorum, qui mythologicas doctrinas traditas philosophica interpretatione exprimebant, et gnosis vulgaris, quae imprimis in arte magica posita est;[4]) nam haec vulgo docebat, quibus artibus in caelo potentia inimico-

1) hae papyri ab antecedentibus eo differunt, quod non praecepta, sed phylacteria videntur esse quodque multo magis ad religionem Christianam spectant.

2) vid. E. Meyer, Alte Geschichte I, 2, p. 115/6.

3) vid. R. Wuensch, 'Antikes Zaubergerät aus Pergamon', Jahrb. d. Arch. Inst. Ergänzungsh. VI p. 19; 'Sethianische Verfluchungstafeln aus Rom.' Leipzig. 1898, p. 74 sq.

4) cf. A. Dieterich, Abraxas p. 2: 'Dem Volke wurden alle diese Gedanken in der Magie zugänglich; sie war des Volkes Gnosis.'

rum aeonum tollenda et in terra omnibus desideriis satisfaciendum esset.

Illi homines, qui gnosin vulgarem sequebantur, maxime praeceptis religionum uti solebant; ea enim non ignorabant, quibus artibus magicis dei vel daemones domari possent. Perspicuum est primum praecepta magica, quae magus invenit, cum doctrinis religionis gnoseos suae congruisse, sed id postea mutatum est. Crescente enim superstitione ex singulis praeceptis ampli libri compilati sunt res magicas continentes, qua in re nondum perquisitum est, qua e religione singulae partes derivatae essent,[1]) et commode dicit A. Dieterich in prolegomenis ad papyrum magicam p. 767: 'neque unquam deorum ac religionum conturbatio in orbe terrarum visa est tanta, quantam illic videmus. omnium paene religionum, quae dilabi atque infringi coepere, ruinae ac fragmenta corruere in ingentem superstitionum molem in Aegypto maxime coacervatam.' Papyri magicae igitur sunt quasi lacus, in quem dissimillima praecepta magica sectarum gnosticarum fluxerunt. Sed fieri potest, ut singulae partes dirimantur et hoc quidem intellegatur, ex quibus religionibus singula elementa orta sint.

Fundamenta vero papyrorum magicarum sunt Graecorum et Aegyptiorum religiones et mysteria;

1) cf. C. Wessely, Denkschr. XLII p. 11 et Kenyon Gr. P. I, p. 62—64. — Aeque se habent defixionum tabellae recentioris aetatis; vid. R. Wuensch, Defixionum tabularum Atticarum (= I G III 3) praef. p. XX: 'longe alia . . . ea est superstitio quae nobis in tabellis recentioris aetatis obviam fit, ubi magica praecepta et syncretismus, quem vocamus, et gnosis, quae dicitur, variam protulerunt multitudinem notionum mixtarum turbatarumque, ita ut religio quaedam evaserit multis coloribus varia, neque nos hodie, unde singuli colores sumpti sint certo dicere possumus, utrum eorum origo fuerit Graeca, Pythagorea, Orphica, Aegyptiaca, Iudaica, Gnostica.'

nonnulla ab Iudaeis petita sunt, sed christianae religionis pro ratione pauca. Quamquam *Ἰησοῦς Χριστός* identidem appellatur[1]) et testamentum novum auctoribus papyrorum notum est,[2]) tamen *Ἰησοῦς* eis non potior est quam quilibet daemon, qui in arte magica aliquid valet.[3]) Qua re demonstratur hoc libros compositos esse, priusquam gnosticismus cum religione christiana coniunctus esset.[4])

Harum religionum inter se commixtarum precibus numina advocantur, ut veniant precantibusque serviant, sive hi inimicis nocere sive amorem recuperare sive divitias sibi parare student. Quae imprecationes obscuris formularum farraginibus paene obrutae sunt: partim hae sunt verba ad linguas et dialectos nobis ignotas pertinentia, partim litterae esse videntur sine ullo sensu compositae velut *αβλαναθαναλβα* (vs. 982; 3030)[5]) vel *ακραμαχαμαρει* (pap. mus. Brit. CXXI 320; 649). Eiusmodi formulae appellari solent *Ἐφέσια γράμματα*;[6]) qualis natura harum litterarum sit, difficile est dictu; imprecationibus plerumque plenioris tinnitus causa inseruntur et id spectant, ut apparatum magicum perficiant.

---

1) pap. R I 46; R III 1; pap. mus. Lugd. Bat. V VI, 17; pap. Paris. 1253; 3019.

2) pap. R I 32; 41.

3) Maxime id apparet ex pap. Par. vs. 3019 sq., ubi *Ἰησοῦς* appellatur deus Hebraeorum: *ὁρκίζω σε κατὰ τοῦ θεοῦ τῶν Ἑβραίων Ἰησοῦ.*

4) cf. A. Dieterich, Eine Mithrasliturgie p. 44/5.

5) Ubi nil nisi numerus versuum affertur, intellegenda est 'pap. Par.'

6) cf. C. Wessely, Ephesia grammata, Jahresbericht des Franz-Joseph-Gymn. zu Wien, 1885/6; R. Heim, Incantamenta magica graeca latina in: Fleckeisens Jahrb. suppl. XIX (1893) p. 527 sq.; R. Wuensch, DTA praef. p. XX; A. Audollent, Defixionum tabellae, Paris. 1904 praef. p. LXVII; A. Dieterich, Eine Mithrasliturgie, p. 36 sq.

Magis vero quam Ephesia grammata impediunt eum qui arte magica non initiatus est, quin omnino quicquam intellegat, signa arcana, quae *Χαρακτῆρες* dicuntur.[1]) Praeterea adnotandum est in papyris magicis compendia quaedam adhiberi, quae ex papyro Parisina C. Wessely collegit in eius editione p. 43 sq. Restat, ut de temporibus, quibus papyri magicae ortae sunt, nonnulla addantur: scriptae sunt hae saeculo III vel IV p. Chr. n., quantum e re palaeographica viri docti collegerunt;[2]) antiquissima putatur papyrus Anastasy 5 (pap. mus. Brit. XLVII).

Haec de papyris magicis in universum. Quod ad eam papyrum pertinet, quae vocatur Parisina magna, Thebis reperta est ab Anastasyo. Id comperimus ex libro, qui inscribitur 'Catalogue d'une collection d'antiquités égyptiennes par M. François Lenormant', Paris Maulde et Renou 1857 (invent. de la bibl. nat. V 44, 695), in quo haec adnotantur: 'M. Anastasi dans ses fouilles à Thèbes avait decouvert la bibliothèque d'un gnostique égyptien du second siècle'.[3]) In hoc indice papyrus signata erat numero 1073, qui hoc die fol. I r. papyri agglutinatus est; et in indice bibliothecae nationalis Parisinae — in hac enim illa nunc servatur — affertur tamquam 'papyrus Anastasi 1073.'

Quod ad ambitum eius spectat, altitudo singulorum foliorum est inter 27 cm (fol. 36) et 31 cm (fol. 21 et 22), latitudo inter 9,5 cm (fol. 21 et 22) et 13,7 (fol. 2).[4])

1) vid. ea in Denkschr. XXXVI, p. 55.

2) cf. C. Wessely, Denkschr. XXXVI p. 36/7.

3) haec sumpsi ex adnotationibus C. Preisendanzii 'Zum Pariser Zauberpapyrus der bibl. nat. suppl. gr. 574' in Philol. LXVIII (1909), p. 575 sq.

4) in 'Denkschriften' XXXVI p. 40 Wessely ambitum papyri non accurate adnotavit; sed id ipse in programmate supra p. 6 adn. 2 laudato correxit.

Principio papyrus fuit codex compositus ex duodeviginti foliis duplicibus,[1]) quae aliud in alio posita, deinde complicata in utraque parte inscripta sunt, ita ut papyrus complectatur septuaginta duas paginas, sed duo folia — 16 r. v. et 36 r. v. — scriptura vacant, folium primum paucis versibus completum est, qua de causa Lenormant in illo indice supra commemorato numeravit '33 feuillets écrits de deux côtés'. Postea autem papyrus media diffracta est, quo modo ex duodeviginti foliis duplicibus orta sunt triginta sex folia singula, quae hoc die in librum insuta sunt.

Ex ea re, quod papyrus primo erat codex, cognosci potest, quo tempore illa scripta sit; nam libri papyracei voluminum vices suscipiunt saeculi IV initio p. Chr. n.[2]) Eadem aetas indicatur scriptura, Wessely enim, testis in hac re gravis, in editione papyri p. 40 iudicat sic: 'Die Schrift ist die Unziale, gegen Ende die Cursive des IV. Jahrhunderts, kurz nach 300', quam opinionem hoc quoque die tenet.[3]) Confirmatur vero ea sententia eo, quod primae paginae papyri continent antiquum textum Copticum, quem inter annum 275 et 400 scriptum esse F. Ll. Griffith ostendit.[4]) Terminus igitur, ante quem papyrus est scripta, circiter Diocletiani aetas statuenda est. Sed multo prius, circa a. 100—150 p. Chr. n. archetypum confectum est. Eiusmodi enim libri magici iam a Luciano Philops. c. 31 commemorantur, quo loco verba sunt haec: τὰς βίβλους λαβών· εἰσὶ δέ

1) hoc demonstravit C. Preisendanz l. c.

2) cf. Th. Birt, 'Antikes Buchwesen' Berl. 1882, p. 120 et W. Schubart, 'Das Buch bei den Griechen und Römern' 1907, p. 117.

3) A. Dieterich, Eine Mithrasliturgie p. 43/4.

4) Zeitschrift für ägypt. Sprache u. Altertümer XXXIX, p. 78 sq.

μοι Αἰγύπτιαι μάλα πολλαὶ περὶ τῶν τοιούτων κτλ. Luciani igitur temporibus i. e. circa a. 150 p. Chr. n. noti erant, quocum bene congruit locus pap. Par. vs. 2441 sq., quo *Παχράτης ὁ προφήτης* artem suam imperatori Hadriano proposuisse narratur: *Παχράτης ὁ προφήτης Ἡλιουπόλεως Ἀδριανῷ βασιλεῖ ἐπιδεικνύμενος τὴν δύναμιν τῆς θείας αὐτοῦ μαγίας . . . καὶ θαυμάσας τὸν προφήτην διπλᾶ ὀψώνια αὐτῷ ἐκέλευσεν διδόσθαι.* A. Dieterich quamquam primo[1]) huic historiolae fabulosae de Pachrate et Hadriano fidem haberi non licere putavit, tamen postea[2]) hoc loco veram memoriam servatam et hanc partem papyri non multo post Hadriani tempora compositam esse intellexit. Quae opinio ea re stabilitur, quod Lucianus Philops. c. 34 et 36 eiusdem magi mentionem fecit[3]); etsi hic *Παγκράτης* (sive *Παγκράτην*) nomen legitur, tamen non dubium videtur, quin *Παχράτης* in papyro Parisina et *Παγκράτης* in Luciani libro unus idemque sit atque Lucianus nomen verum *Παχράτης* consilio in vocem graecam *Παγκράτης* (i. e. 'qui omnia domat') mutaverit. Praeterea papyrum Parisinam non archetypum, sed ex aliis libris exscriptam esse multa indicia docent; neque enim solum menda reperiuntur, quae nisi ex eo, quod libri longum per tempus propagati mutilatique sunt,[4]) non explicari possunt, sed etiam variae lectiones eisdem formulis atque in Homeri codicibus et scholiis adnotantur[5]); eiusmodi for-

1) pap. mag., p. 780.

2) Eine Mithrasliturgie, p. 44.

3) in hac re sequor Wuenschium; cf. A. Abt. l. c., p. 227 adn. 1.

4) haec intelleges ex adnotationibus ad singulos versus infra ascriptis.

5) cf. C. Wessely, Denkschr. XXXVI, p. 36 et Wiener Stud. XX (1898), p. 139; R. Heim l. c., p. 535 et 560 sq.

mulae sunt hae; *οἱ δέ, ἄλλοι, ἐν ἄλλῳ, ἐν ἄλλοις, ἄλλως*.

Hactenus de papyris magicis, imprimis de papyro Parisina. Veniamus nunc ad hymnos ipsos, qui illis inserti sunt; cum enim illarum praecepta perlustres, omnem actionem magicam invenias compositam esse ex compluribus partibus: praemittitur *ἐπίθυμα*, sequitur pars gravissima, quae continet et actionem magicam (*πρᾶξιν*) et precationem magicam (*λόγον* sive *εὐχήν* sive *ἐπῳδήν*); huic parti adiungitur *φυλακὴ τῆς πράξεως*, quae id spectat, ut magum ipsum a daemonibus prece advocatis tueatur. Ille quidem *λόγος* vel oratio soluta est vel numerose cadit vel est carmen. Neque vero nova carmina a magis in actionem conficiebantur, immo hi hymnis, qui ab aliis poetis facti per longum tempus constiterunt, utebantur. Unde autem haec carmina sumpta essent, iam ab aliis demonstratum est: C. Dilthey[1]) enim docuit, quo modo compilatores superstitiosi, qui olim libros magicos in Aegypto conglutinassent, totos hymnos formulasque ex copia carminum repetissent, quae Orphica appellari solent.[2]) Qua ratione in hac re magi usi sint, ex partibus quae bis recensentur,[3]) inter se comparatis intellegi potest: carmina in sermonem pedestrem discerpserunt, corruperunt, contraxerunt, contextum genuinum diversissime commutaverunt, ubique voces

---

1) mus. rhen. XXVII (1872), p. 383 sq.; quam arte hymni magici cum carminibus Orphicis cohaereant, cognosces infra ex tabulis confectis ad affinitatem illustrandam.

2) Simillime magi Iudaici vel Christiani ad imprecationes magicas psalmos vel orationem dominicam (cf. A. Dieterich Mithraslit., p. 28) et temporibus nostris superstitiosae mulierculae dicta librorum sacrorum adhibent.

3) cf. A. Dieterich pap. mag., p. 761.

mysticas inseruerunt;[1]) quo loco genuini versus facile eximi componique possunt, ratio compilatorum magicorum optime perspicitur.

Quod ad aetatem attinet, qua carmina magica orta sunt, Dilthey l. l. p. 382 hos hymnos Nonni temporibus — fortasse in Aegypto — confectos esse iudicat. Quod licet in nonnullos quadret, tamen alii multo prioribus temporibus, quam Nonnus carmina composuit, hymni a magis compilati sunt; cum enim papyri archetypum altero saeculo p. Chr. n. confectum esse supra statutum sit, iam hac aetate hymnorum thesauros compilatoribus magicis praesto fuisse apparet.[2])

Quaerenti autem, quibus locis versus hymnorum conservati sint, discernendi sunt ei loci, qui nil nisi orationem numerosam continent, et ei, quibus veri versus insunt. Numerum quidem, non versus invenimus saepius in formulis liturgicis et imprecationibus, ut in formula, quae traditur apud Athenaeum IX, p. 410 A, ubi *Κλειτόδημος* praecipit: *ὄρυξαι βόθυνον πρὸς ἑσπέραν τοῦ σήματος, ἔπειτα παρὰ τὸν βόθυνον πρὸς ἑσπέραν βλέπε, ὕδωρ κατάχεε λέγων τάδε· 'ὑμῖν ἀπόννιμαι οἷς χρὴ καὶ οἷς θέμις.' ἔπειτα αὖθις μύρον κατάχεε.* Quo in dicto numerum esse negari non potest, quin etiam nonnulli[3]) de iambicis trimetris cogitaverunt, quae opinio

1) optime ratio magorum intellegitur ex hymno Solis; cf. infra p. 33.

2) cf. infra p. 64.

3) Casaubonus et Schweighäuser; hic in 'Animadversationibus in Athenaeum' V, p. 277 restituit hos versus:

Βόθυνον (sive *Βόθρον*) *πρὸς ἑσπέραν ὀρύξαι σώματος*
ἔπειτα παρὰ τὸν βόθυνον ἐς ἑσπέραν βλέπε
. . . . *ὕδωρ κατάχει, λέγων τάδε·*
'Ὑμῖν ἀπόννιμ,' οἷς χρὴ καὶ οἷς θέμις', ἔπειτ'
αὖθις μύρον κατάχεε.

Sed suo iure Müller (FHG I, p. 363) obiecit: 'eius modi versus possis deprendere in quavis oratione pedestri.'

probanda non est. Ad illam formulam precationem itidem numerosam R. Wuensch in addendis ad Dieterici librum 'Eine Mithrasliturgie' (1910) p. 223 adnotat, quae legitur apud Marc. Aur. V 7: *ὗσον ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων.* In papyri Parisinae precationibus non raro numerus constitui potest; id quod aperte demonstratur vs. 978 sq., quo loco nonnulla iambica trimetra reperiuntur ut vs. 991/2: *σύμπαντα κόσμον, θεὲ θεῶν εὐεργέτα.* Maxime vero numerus cognoscitur vs. 1023 sq.: *εἴσελθε, φάνηθί μοι, κύριε, ὁ ἐν πυρὶ τὴν δύναμιν καὶ τὴν ἰσχὺν ἔχων, ὁ ἐντὸς τῶν ἑπτὰ πόλων καθήμενος, ὁ ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς στέφανον χρύσεον,* ubi in fine sunt quinque anapaesti sive anapaesti, qui iamborum vice funguntur. Itidem numerus inest *τῷ λόγῳ* vs. 1443 sq.: *ὅτι ἐπικαλοῦμαι Χάος ἀρχέγονον, Ἔρεβος, φρικτὸν Στυγὸς ὕδωρ, νάματα Λήθης ἀχερούσιά τε λίμνη Ἅιδου, Ἑκάτη καὶ Πλουτεῦ καὶ Κούρα, Ἑρμῆ χθόνιε, Μοῖραι καὶ Ποιναί, Ἀχέρων καὶ Αἰακὲ πυλωρὲ κλείθρων τῶν ἀιδίων, θᾶττον ἄνοιξον, κλειδοῦχέ τ' Ἄνουβι φύλαξ.* Etiam ex hac precatione a viris doctis versus restituti sunt: ab Herwerdeno in Mnemos. vol. XVI (1888) p. 321:

Χάος ἀρχέγονον φρικτόν τ' Ἔρεβος,
Στυγὸς ὕδωρ, νάματα Λήθης,

a Dieterico 'de hymnis Orphicis' p. 49:

καὶ χάος ἀρχέγονον, Ἔρεβος φρικτόν, Στυγὸς ὕδωρ,
τήν τ' Ἄιδος λίμνην, ἀχερούσια νάματα λήθης,

a Fahzio l. l. p. 169:

ὦ Χάος ἀρχέγονον, Ἔρεβος, φρικτὸν Στυγὸς ὕδωρ,
ἥ τ' Ἀίδος λίμνη, ἀχερούσια νάματα Λήθης,
Πλουτεῦ καὶ Κούρα χθονίη, Ἑκάτη τε καὶ Ἑρμῆ,

*Μοῖραι καὶ Ποιναί, Ἀχέρων τε καὶ Αἰακὲ κλεί-
θρων*
*ἀϊδίων σὺ πυλωρὲ φύλαξ κλειδοῦχέ τ' Ἄνουβι
θᾶττον ἄνοιξον.*

Iam ex eo, quod versus varie a viris doctis constituti tantopere a verbis traditis discrepant, cognoscas fieri non posse, ut genuina versuum forma eruatur, quamvis hymnum hexametricum hic subesse negari non possit; sed versus tam plane e contextu evulsi sunt, ut restitui non possint; satis habendum est numerum hoc et aliis locis inesse statuisse. At versus continent hi loci: vs. 179—200; 261—273; 436—462; 468—474; 821—824; 830—834; 939—948; 1399—1434; 1957—1989; 2146—2151; 2242—2347; 2521—2567; 2574—2621; 2623—2674; 2714—2870; 2902—2939. Quorum vs. 468—474, 821—824, 830—934, 2146 usque ad 2151 sunt versus Homerici iam dudum noti:[1]) reliqui quod cum ad sermonem et rem metricam tum quod ad argumentum carminum attinet, magni momenti sunt. Qua de causa viri docti his hymnis recensendis identidem operam dederunt.[2]) Neque vero quisquam rem plane confecit, immo carmina tantopere

1) de eis egerunt R. Heim l. c. p. 517 sq. et A. Dieterich, Eine Mithrasliturgie, p. 20 sq.

2) E. Miller, 'Hymnes Orphiques' in: 'Mélanges de littérature grecque', Paris 1868, p. 437; A. Nauck, bulletin de l'académie de St. Pétersbourg, tome XIII, p. 396; A. Meineke, 'Drei von E. Miller edirte orphische Hymnen,' Herm. IV (1870) p. 54 sq.; C. Dilthey, 'Ueber die von E. Miller herausgegebenen griechischen Hymnen,' mus. rhen. XXVII (1872) p. 375 sq.; E. Abel, Orphica, Lips. 1885, p. 286; C. Wessely, Denkschriften XXXVI, p. 28 sq.; H. van Herwerden, 'de carminibus e papyris Aegyptiacis erutis et eruendis,' Mnemos. N. S. XVI (1888) p. 316 sq.; R. Reitzenstein, index lectionum in academia Rostochiensi 1892/3, p. 18 sq.; A. Dieterich, 'de hymnis Orphicis,' Marp. 1891 passim; 'Abraxas' passim; R. Wuensch, 'Sethianische Verfluchungstafeln aus Rom,' p. 91 sq.

corrupta sunt, ut multa inquirenda restent. Itaque liceat nonnulla conferre ad hos hymnos recensendos. Atque mihi in animo est tres hymnos (in Solem vs. 433 sq., 1957 sq.; in Venerem vs. 2902 sq.; in Lunam vs. 2242 sq.)[1]) denuo edere. Qua in re de lectionibus denuo contuli si non papyrum ipsam, at tamen dilucidum codicem photographice depictum, id quod benignitate et auxilio Wuenschii mihi licuit. Quae in talibus papyris posteriorum temporum recensendis per se intelleguntur, praetermittam, ut *ο* et *ω* saepissime inter se confusa (h. I 1: *επωχουμενος* C al.; cf. E. Mayser, 'Grammat. d. griech. Papyri aus der Ptolemäerzeit', Leipz. 1906, p. 99 adn. 1 et Meisterhans-Schwyzer, 'Grammat. d. att. Inschriften', Berlin 1900, p. 24 sq.) et *ει*, *ι*, *η* (I 5: *στοιχια* C; III 11. 78: *δινα*; III 19: *κλιει*; III 62 *αχοιου*; cf. Meisterhans-Schwyzer l. c. p. 48; II 16: *κινησεις* pro *κινήσῃς*; v. infra p. 70) et *οι* et *ι* (I 5: *νομισι* C; cf. Mayser l. c. p. 111/112) et *αι* et *ε* commixta (I 11: *γεης* C; v. Mayser l. c. p. 107).

I

Εἰς Ἥλιον

Hic hymnus quattuor locis papyrorum magicarum traditur: pap. Par. 433 sq. (A); pap. Par. 1957 sq. (B); pap. mus. Brit. CXXII 75 sq. (C); pap. Berol. I 315 sq. (C_1). Primus carmen E. Miller l. c. p. 447 sq. constituit; sed ut is solum recensiones A et B respexit, ita Meineke l. c. p. 61 sq. his solis inisus est. Recensionem C_1 ad hymnum recensendum adhibuerunt

1) Ad hos primo quaestiones selectas de reliquis papyri Parisinae hymnis magicis addideram; sed quoniam eae ambitum dissertationi concessum excedunt, non nisi de illis tribus carminibus in hoc opusculo egi.

C. Dilthey l. c. p. 376 sq., E. Abel l. c. p. 291, qui hymnum denuo typis expressit, A. Dieterich, qui 'Abraxas' p. 50 sq. vs. 1—9, 'Nekyia' p. 23 vs. 7—12 tractavit. Recensio C demum anno 1893 a Wesselyo l. c. publici iuris facta est.

Ἀεροφοιτήτων ἀνέμων ἐποχούμενος αὔραις,
Ἥλιε χρυσοκόμα, διέπων φλογὸς ἀκάματον πῦρ,
αἰθερίοισι τρίβοισι μέγαν πόλον ἀμφὶς ἑλίσσων,
γεννῶν αὐτὸς ἅπαντα, ἅπερ πάλιν ἐξαναλύεις·
ἐξ οὗ γὰρ στοιχεῖα τεταγμένα σοῖσι νόμοισι,
κόσμον ἅπαντα τρέφουσι τετράτροπον εἰς ἐνιαυτόν.
κλῦθι μάκαρ, κλήζω σε, τὸν οὐρανοῦ ἡγεμονῆα
γαίης τε χάεός τε καὶ Ἄιδος, ἔνθα νέμονται

1 αεροφοιτητων A Mi(ller) Me(ineke) Dil(they) Ab(el) Diet(erich) K(enyon),[1] αεροφοι(τα)τητων C (-τη- corr. ex -δα-), ανεμοφοιτητων B | εποχουμενος B (υ postea correctum ex alia littera, quae est incerta) ed(itores), επωχουμενος C, εποχουμενον (sive εποχαιμενον) A | αυραις A ed., αυδι (αυραις) (?) B, σαυραις C || 2 [signum] ι C | φλογος ακαματον πυρ A ed, πυρος ακαματον πυρ B, φλογος ακαματον φως C || 3 αιθεριαισι A Ab K, αιθεριοισι B Mi Me Dil Diet, αιθεριοις C | τριβαις A, τριβοισι B ed, τροπαις C | μεγαν πολον A B ed, μεγας μεγας πολον C | αμφιελισσων A ed (praeter K), αμφισελισσων B K, αμφισελαων C || 4 γεννων A B ed, γενων (sive γεννων; syllaba prior est diluta) C | απαντα απερ A Mi Diet K, απαντ' απερ B, απατα οπερ C, ἅπατα τάπερ Me Ab || 5 εξ ου A B C Mi (in textu) Me, ἐκ σοῦ (vel ἐκ σέο) prop. Mi Ab Dil Diet K | στοιχεια παντα A, στοιχεια B ed, πεφυγε στοιχια C | σοισι νομοισι A B Mi Me Ab Diet, σοισι νομισι C, σοῖς τε νόμοισι Dil | hunc versum post vs. 6 pos. Diet || 6 απαντα A B ed, απαν C | τρεπων A Mi Diet, τρεφουσιν B, τρέφουσι Me Dil Ab, τρεπουσι C K | τετραπον sive τετραγιον A, τετραπον B, τετρατροπον C K, τετράτομον Mi, τετράορον Me Dil Ab, τε τετάρτιον Diet | vs. 1—6 desunt in C_1 || vs. 7—10 desunt in C vs. 7 post vs. 9 pos. A | κλυθι μακαρ A B Mi Dil Diet, κλῦθι Me | σε γαρ κληζω A, σὲ γὰρ κλήζω, σὲ Me, κληζω σε B C_1 Mi Dil Ab Diet || 8 γαιης τε A B Me Dil, τὸν γαίης τε Mi, και γαιης C_1 Ab Diet | χαοιο και A, χαεος τε και B C_1 Me Dil Ab Diet, χάους τε καὶ Mi | αϊδαο A, αιδεος B, αϊδος C_1 ed.

1) Quae ipse mutavi, in apparatu critico non adnotavi.

δαίμονες ἀνθρώπων οἵ πρὶν φάος εἰσορόωντες.
καὶ δὴ νῦν λίτομαι, μάκαρ, ἄφθιτε, δέσποτα κόσμου,
ἣν γαίης κευθμῶνα μόλῃς νεκύων τ' ἐπὶ χῶρον,
πέμψον δαίμονα τοῦτον ὅπως μεσάταισιν ἐν ὥραις
νυκτὸς ἐλευσόμενον προστάγμασι σοῖς ὑπ' ἀνάγκης,
οὗπερ ἀπὸ σκήνους κατέχω τάδε λείψανα χερσίν,
ὥς, ἃ θέλω γνώμῃσιν, ἀληθείην καταλέξῃ,
πραῢν μειλίχιον μηδ' ἀντία μοι φρονέοντα,
μηδὲ σὺ μηνίσῃς ἐπ' ἐμαῖς ἱεραῖς ἐπαοιδαῖς,
ἀλλὰ φύλαξον ἅπαν δέμας ἄρτιον ἐς φάος ἐλθεῖν
— καί μοι μηνυσάτω ∪∪ _ ∪∪ _ δύεταί μοι
νῦν ἐς ὑπηρεσίαν καὶ τὸν χρόνον, ὃν παρεδρεύει —

9—11 des. in C_1 ‖ 10 *δη νυν λιτομαι σε* A, *νυν δη σε λιταζομαι* B | *μακαρ αφθιτε* A B | *νῦν δή σε λιτάζομαι, ἄφθιτε* Mi, *δὴ νῦν λίτομαί σε, μακάρτατε,* Me Ab Dil, *δή νῦν λίτομαι, μάκαρ, ἄφθιτε* Diet 11 *γαιης* A B ed, *γεης* C | *επι χωρων* A, *τ' ενι χωρω* B, *ενι χωρω* C K, *τ' ἐπὶ χῶρον* ed ‖ 12 *δαιμονα τουτον* A B C_1 ed; *μάντιν* C | *τη* $\frac{\Delta}{I}$ *μεσαταισι ωραις* A, *οπως μεσάταισι* *ν^{εν}ωρε^{αις}σσιν* B, *εξ αδυτων τον αληθεα λιτομε σε* C, *εμαις ιεραις επαοιδαις* C_1, *ἀεὶ μεσάταισιν ἐν ὥραις* Mi Me, *ἐμοι μεσάταισιν ἐν ὥραις* Dil Ab ‖ 13 post vs. 14 pos. A Mi Me, 13—17 des. in C | *ελευσομενον* A B Mi Me, *ελαυνομενον* C_1 Dil Ab | *σαις επ αναγκαις* A, *σης υπ αναγκης* B C_1 Mi Me Dil Ab, *σοῖς ἐπάναγκες* prop. Me ‖ 14 *ουπερ απο σκηνους* A C_1 ed, *ουπερ απο κεφαλης σκηνους* B | *κατε^{χω} τοτε λιψανον* A, *κατεχω ταδε* B Dil Ab, *εστι τοδε* C_1, *κατέχω τάδε λείψανα* Mi Me | *εν χερσιν εμαις* A, *και φρασατω μοι τω* $\frac{\Delta}{I}$ B, *και φρασσατω μοι* C_1, *και φρασάτω μοι* Dil Ab | 15 *ην οσα* A Me, *οσα* B, *οσσα* C_1 Dil Ab, *ἣν ἃ* Mi | *θελω* A B C_1 ed, *λῶ* Me | *εν φρεσιν εμαις* A, *γνωμαισιν* B Mi Me Ab, *γνωμησιν* C_1 Dil | *παντα μοι εκτελεση* A, *ιν' αληθειη καταλεξη* B Mi Me, *αληθειην καταλεξας* C_1 Dil Ab ‖ 16 *πραῢν* A Ab, *πρηυν* C_1 Dil, *πραυς* B Mi Me | *μειλιχιον* A Dil Ab, *μειλικιον* C_1, *μειλιχιος* B Mi Me | *μοι φρονεοντα* A Dil Ab, *μη φρονεοντα* C_1, *μοι φρονεοιτο* B Mi, *φρονέῃ τι* Me ‖ 17 *κρατεραις επ εμαις επαοιδαις* A Mi Me, *επ εμαις ιεραις επαοιδαις* C_1 Ab, *επ εμαις ιεραισιν επαοιδαις* B ‖ 18—20 des. in A | *απαν μου δεμας* B, *απαν δεμας* C_1 Mi Me Dil Ab | *αρτιον* B Mi Me, *ἄρκιον* C_1 Dil Ab | *εις* B Mi Me, *ες* C_1 Ab.

ταῦτα γὰρ αὐτὸς ἔταξας ἐν ἀνθρώποισι δαῆναι
νήματα Μοιράων ταῖς σαῖς ὑποθημοσύνῃσι.
κλῄζω δ' οὔνομα σὸν Ὡρῶν Μοιρῶν τ' ἐς ἀριθμόν.
ἵλαθί μοι, προπάτωρ, κόσμου θάλος αὐτολόχευτε,
πυρφόρε, χρυσοφαή, φαεσίμβροτε, δέσποτα κόσμου,
δαῖμον ἀκοιμήτου πυρὸς, ἄφθιτε, χρυσεόκυκλε,
φέγγος ἀπ' ἀκτίνων καθαρὸν πέμπων ἐπὶ γαῖαν.

19—20 des. in C_1 | *και μοι μηνυσατω ο* $\frac{4}{1}$ *το τι η ποθεν η δυναται μοι* B, *καί μοι μηνυσάτω* . . . Mi Me Ab finem versus non restituentes || *εις* B | *καί μοι μηνυσάτω ὁ δεῖνα τὸ τί ἢ πόθεν ἢ καὶ τὸν χρόνον, ὃν παρεδρεύει* Wessely, . . . *τειρεσίαν καὶ τὸν χρόνον [ἐμ]παρεδρεύει* Mi, *λίχνει τηρεσίαν καὶ τὸν χρόνον ὃν παρεδρεύει* Me Ab || 21 *εταξας* A ed, *εδαξας* C_1, *εδωκας αναξ* B || 22 deest in C_1 | *νηματα μοιραων και σαις υποθημοσυνηισι* A Mi, *ταῖς σαῖς* Me Ab, *ὑποθημοσύναισι* Ab | *οτι επικαλουμαι τετραμερες σου τουνομα χθεθωνι λαϊλαμ· ιαω· ζουχα· πιπτοη:* B || 23 *ωρων μοιρων* A B Mi Me, *μοιραις αυταις* C_1, *μοίραις ἱεραῖς* Dil, *ἱεραῖς μοίραις* Ab | *εισαριθμον* A B C_1, *ἰσάριθμον* Parthey Ab; *ἐς ἀριθμὸν* Mi Me || 24 *αχαϊφω θωθω φιαχα αϊη ηϊα ιαη· ηϊα θω θωφιαχα ιλαθι*... A, *αχαϊφωθωθω· αϊη· ιαη· αϊ· ιαη· αϊη· ϊαω θωθωφιαχα· γρ* $\overline{\lambda\zeta}$ (?) B, *αχαιφω θωθω ααιη ιαη ιαα ιηα ιιηια· ωθωθω φιαχα* C_1 | *προπατωρ* (*-πα-* corr. ex *-πρ-*) B | *κοσμου θαλος* A, *κοσμου πατερ* B Mi Me Ab, *προγενεστερε* C_1 | *αυτολοχευτε* A, *αυτογενεθλε* B C_1 Mi Me Ab || 25—27 des. in B et C_1 | *πορφυρε* A, *πυρφόρε* Mi Me Ab | *χρυσοφαη κοσμου* (deletum) *θαλος* (del.) *αυτολοχευτε* (del.) A, *χρυσοφαές* Mi Me Ab || *πεμψον τον δαιμονα ονπερ εξητησαμην τη* $\frac{4}{1}$ *κοι—* post vs. 27 in A, *πέμψον [δὴ] τὸν δαίμον' ὃν ἐξήτησα προθύμως* Mi, *πέμψον τε δαίμον', ὅντιν' ἐξητησάμην* Me, non rest. Dil Ab.

vs. 1. *ἀεροφοιτήτων]* *ανεμοφοιτητων* (B) falsum esse apparet ex sequenti substantivo *ἀνέμων*, cui ut adiectivum *ἀνεμοφοιτήτων* attribuatur, fieri non potest. Inquirendum est igitur, utrum *ἀεροφοιτήτων* an formam hyperdoricam *ἀεροφοιτάτων* scribamus. Hanc rem diiudicare est difficile; cum enim in hymnis magicis formae Ionicae et Doricae promiscue adhibeantur, ut poeta certam legem non observet, libri manuscripti sequendi sunt. Hoc loco omnes recensiones

praebent *-φοιτήτων*. In C quidem primo *αεροφοιδατων* fuit, quod quin ex *αεροφοιτατων* depravatum sit, fieri non potest, atque quia *αεροφοιτητων* rursus in *αεροφοιτατων* correctum est, in C scribendum esse *ἀεροφοιτάτων* certum videtur. Sed quamvis C nonnullis locis genuinam lectionem retinuerit (cf. vs. 6) et *ἀεροφοιτάτων (ἀνέμων)* ea re melius quadrare videatur, quod formae doricae hymnis magicis plenioris tinnitus causa inseri solent (cf. hymn. Hec. pap. vs. 2730 sq.: *τὰν Ἑκάταν, σὲ καλῶ σὺν ἀποφθιμένοισιν ἀώροις* vel vs. 2747 sq.: *Περσεφόνα τρικάρανε)*, tamen recensio C tantopere mutilata est, ut et haec lectio suspiciosa videatur atque formam *ἀεροφοιτάτων* a librario aliquo postea in textum illatam esse verisimile sit. Itaque *ἀεροφοιτήτων* praefero. — Quod ad vocabulum ipsum attinet, *ἀεροφοίτητος* (sive *ἀεροφοίτατος*) adhuc ignotum erat; id invenitur nusquam nisi hoc loco et pap. mus. Brit. XLVI 246: *Ζῷον φοίνικος ἀεροφοιτήτου*. Antea in lexicis reperiebantur *ἠερόφοιτος*, *ἀεροφοίτης*, *ἠεροφοῖτις*; de horum vocabulorum significatu cf. A. Ludwich: 'Wie verstanden die Alten das homerische *ἠεροφοῖτις*?' in: Jahrb. f. klass. Philol. 139 p. 657 sq. Compositum est *ἀεροφοίτητος* ex *ἀήρ*, quod significat regionem terrae proximam, in qua venti flant et sidera moventur (cf. A. Dieterich, Mithr. p. 61 sq.), et adiectivo verbali *φοιτητός*, atque valet idem quod *ἀεροφοίτης*; inter formas autem *ἀεροφοίτητος* et *ἀεροφοίτης* eadem ratio intercedit quae inter *ἀεροπότης* et *ἀεροπότητος*.

ἐποχούμενος αὔραις] in B non *αυϝαις*, quod Wessely legit, suprascriptum esse pro certo habeo; litterae *Ρ* et *Α* enim per ligaturam scriptae sunt neque dubium est, quin *αὔραις* forma sit genuina. Similiter dicit Eurip. Med. 839: *ἀνέμων ἡδυπνόους αὔρας*.

vs. 2. *χρυσοκόμα]* forma Dorica, cuius syllaba ultima est longa; vocativus casus enim eum in modum formatus est, ut σ finale abiciatur, id demonstratur his exemplis: Od. β 85: *Τηλέμαχ' ὑψαγόρη*; Etym. Magn. s. v. *Πηλεύς* (p. 670, 15): *δεῖ δὲ γινώσκειν, ὅτι τοῦ Πέρσης ἡ κλητικὴ τοῦ κυρίου ὀνόματος εἰς η ἐστὶ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τοῦ ἐθνικοῦ· τὰ γὰρ εἰς ης ἰσοσυλλάβως κλινόμενα καὶ ἑξῆς. δεῖ προσθῆναι χωρὶς τοῦ Αἰήτη παρὰ Ἀπολλωνίῳ καὶ ὦ Καλλιλαμπέτη καὶ ὦ Ἐναρέτη* (i. e. *Αἰναρέτη*; cf. Il. *Π* 30/1: *χόλος, ὃν σὺ φυλάσσεις Αἰναρέτη*): epigr. gr. (Kaibel) 578, 1: *Ἀπλήρωτ' Ἀίδη, τί με νήπιον ἥρπασες ἄφνω;* cf. etiam p. 48 adn. ad vs. 25.

φλογὸς ἀκάματον πῦρ] lectio B retineri non potest ob repetitum *πυρὸς* — *πῦρ*; itaque pro *πυρὸς* synonymon instituendum est i. e. *φλογός*, quod A et C praebent. Accuratius vero perpendenda est lectio recensionis C *φῶς*, quae per se haudquaquam falsa est. Tamen praefero *πῦρ*, primum quod id duabus recensionibus traditur, deinde quod verba *ἀκάματον πῦρ* finem versuum et Homericorum et magicorum efficiunt; cf. Il. *E* 4; *O* 731; pap. 2527 ∼ 2824. — *ἀκάματον* adiectivi syllaba prima principio brevis est, cf. Il. *Π* 176: *Σπερχείῳ ἀκάμαντι*; sed propter versum syllaba *ἀκ* — producitur; similiter se habet vox *ἀθάνατος;* cf. Il. B 447: *ἀγήραον ἀθανάτην τε.*

vs. 3 in recensionibus A et C valde mutilatus est. Certa sunt verba *μέγαν πόλον*; nam *πόλον* A B C exhibent, et quamquam in C pro *μέγαν* legitur nominativus geminatus *μεγας μεγας*, tamen haud dubie id in *μέγαν* corrigendum est, cum adiectivum nisi ad *πόλον* referri non possit. Sed verbum, quod accusativum *πόλον* trahit, in A est *αμφιελισσων*, in B *αμφισελισσων*, in C *αμφισελαων*, quorum C metro excluditur. Relinquitur igitur *ἑλίσσων*, pro quo synonymon

ἐλάων h. e. ἐλαύνων a mago similiter atque in versu antecedenti φῶς pro πῦρ substitutum videtur esse. Illud quidem egregie in sensum quadrat; Sol enim, rex cosmicus, hic celebratur ut pap. vs. 639: κύριε, χαῖρε, μεγαλοδύναμε, μεγαλοκράτωρ βασιλεῦ, μέγιστε θεῶν, Ἥλιε, ὁ κύριος τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, θεὲ θεῶν, qui videlicet caelum vel mundum movet rotatque. In papyro munus caeli movendi ἄρκτῳ tribuitur, quae sic appellatur 700 sq.: ἄρκτος ἡ κινοῦσα καὶ ἀντιστρέφουσα τὸν οὐρανὸν κατὰ ὡρῶν vel 1276 sq.: καλοῦμαί σε, τὴν μεγίστην δύναμιν τὴν ἐν τῷ οὐρανῷ ... ὑπὸ κυρίου θεοῦ τεταγμένην ἐπὶ τῷ στρέφειν κραταιᾷ χειρὶ τὸν ἱερὸν πόλον. ἑλίσσειν autem de caelo rotando in usu esse testimoniis confirmare vix necessarium est; exempli gratia cf. hymn. orph. 4, 3 (εἰς Οὐρανόν): κοσμοκράτορ, σφαιρηδὸν ἑλισσόμενος περὶ γαῖαν.[1]) Quid πόλος in hymno valeat, dubitari potest; respiciendae sunt hic significationes hae: οὐρανός, κόσμος, κύκλος (cf. Hesych. s. v. πόλος). Ad hanc significationem accipiendam eo magis quis pronior erit, quia κύκλον ἑλίσσειν imprimis de rotandis sideribus adhibetur ut in hymno Hom. εἰς Ἄρεα 6: πυραυγέα κύκλον ἑλίσσων | αἰθέρος

1) In oraculis Sibyllinis identidem invenimus elocutionem οὐρανὸν ἑλίσσειν ut III 80 sq.: τότε δὴ στοιχεῖα πρόπαντα | χηρεύει κόσμου, ὁπόταν θεὸς αἰθέρι ναίων | οὐρανὸν εἱλίξῃ, καθάπερ βιβλίον εἱλεῖται vel VIII 233, VIII 413. At hi loci ad hymnum magicum illustrandum nullius momenti sunt, cum in illis οὐρανὸν ἑλίσσειν non significet 'caelum rotare', sed 'caelum complicare'; oraculorum loci enim spectant ad locos testamenti veteris ut Jes. 34, 4: καὶ ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον, Ephr III 45, Apoc. Joh. 6, 14. Monendum est his locis elocutione οὐρανὸν ἑλίσσειν non dici, quod ex consuetudine est, sed quod mundi interitum indicat. Iudaei enim putabant caelum non moveri, sed ut linteum tabernaculi tendi; cf. Ps. 104, 2: ἐκτείνων τὸν οὐρανὸν ὡσεὶ δέρριν.

ἑπταπόροις ἐνὶ τείρεσιν, vel Frgm. orph. 235 (Abel); Nonn. Dion. 41, 104 aliis locis. Sed huic sententiae repugnat primum quod *πόλος* hoc sensu rarissime adhibetur — in hymnis Orphicis et libris Sibyllinis *πόλος* semper valet *οὐρανός* vel *κόσμος* —, tum quod, si *πόλος* idem esset atque *κύκλος*, non singulari numero, sed plurali ob praecedentia verba *αἰθερίοισι τρίβοισι* opus esset; cf. Nonn. Dion. 38,234 sq.: *αὐτὸς ἐγὼ* (sc. *Ἥλιος*) *στεφανηδὸν ὅλον πόλον ἅρμασι τέμνω* | *οὐρανίων ἑλίκων πολυκαμπέα κύκλα διώκων*. Itaque significatio '*κύκλος*' est repudianda; immo in hymni versu *πόλον* esse 'caelum' vel 'molem mundi', quae circum axem polosque rotatur, ex exemplis supra p. 24 allatis satis patet. Restat ut quaeramus, utrum scribendum sit *ἀμφιελίσσων* (A) an *ἀμφὶς ἑλίσσων* (B). Id ex nulla re nisi ex codicibus diiudicari potest: cum autem B *ἀμφὶς ἑλίσσων* praebeat et in C *ἀμφὶς ἐλάων* intellegendum sit, nihil dubito adverbium *ἀμφὶς* a verbo *ἑλίσσων* seiungere ut Dionys. *οἰκ. περιηγ.* 496 sq.: *νήσων τ' ἀλλάων ὅσας τ' ἀπὸ Χαλκίδος ἕρπων δίνης ἀργυρέης Ἀχελώιος ἀμφὶς ἑλίσσει.*

αἰθερίοισι τρίβοισι] praebet B, *αιθεριαισι τριβαις* A, *αιθεριοις τροπαις* C. Lectio recensionis B cum ob metrum tum aliis de causis lectionibus A et C praeferenda est. *τρίβοι* enim sunt cotidiani cursus Solis; de significatu vocis *τρίβος* v. schol. ad Nic. Alex. 11: *καὶ ὡς ἐπὶ ὁδοῦ λέγει πόρευσιν τρίβον.* Similiter de cursu Lunae Maximus hoc vocabulo utitur *περὶ καταρχῶν* 603 (ed. A. Ludwich): *εἰ δὲ Σεληναίη ξυνὴν τρίβον ἐγκονέῃσιν* | *ἄστροις ἀργαλέοις δήεις κτέαρ.* Neque vero hanc significationem habet *τριβή*, qua de causa lectio *τριβαῖς* reicienda est. *τριβαῖς* igitur ex *τρίβοισι* corruptum est et ex *τριβαῖς* rursus *τροπαῖς*; nam et hoc est repudiandum; duplex enim vis est verborum *τροπαὶ ἡλίου*: altero significatu ea adhiben-

tur Od. *ο* 403 sq.: *νῆσός τις Συρίη κικλήσκεται, εἴ που ἀκούεις | Ὀρτυγίης καθύπερθεν, ὅθι τροπαὶ ἠελίοιο*; hic *τροπαὶ ἠελίοιο* illa loca in occidentem sita sunt, e quibus Sol ad orientem redit; cf. Rappium in Roscheri Myth. Lex. I 2 col. 2013 sq. At quid sibi volunt hae *τροπαὶ Ἡλίου* illo hymni loco? Huic minime conveniunt imprimis quia, cur eae *αἰθέριαι* appellentur, intellegi non potest. Porro *τροπαὶ Ἡλίου* valent 'solstitium' vel 'brumam', quae significatio cum sensu pugnat. Quibus de causis et *τριβαῖς* et *τροπαῖς* repellendum, *τρίβοισι* retinendum est; hanc quidem lectionem esse genuinam etiam ex eo concludi potest, quod in C legitur *αἰθερίοις* i. e. adiectivum masculini generis, quamquam in hac recensione *τροπαῖς* h. e. substantivum fem. gen. sequitur. Reliquum est, ut diiudicemus, utrum *αἰθερίαισι* an *αἰθερίοισι* sit scribendum; quae res difficilis est, cum *τρίβος* et masculini et feminini generis sit, id quod demonstratur his exemplis: Eur. Or. 1251: *τόνδ' ἁμαξήρη τρίβον*; at Theocr. XXV 156: *λεπτὴν καρπαλίμοισι τρίβον ποσὶν ἐξανύσαντες*. De significatu *ὁ τρίβος* et *ἡ τρ.* non differunt. Itaque sequor codices, h. e. scribo *αἰθερίοισι*, quod B et C praebent. — Quod ad metrum pertinet, observandum est vocalem finalem *ι* ante *τρ* (i. e. muta cum liquida) ut plerumque apud Homerum (cf. Kühner-Blass, Ausführl. Grammatik der griech. Sprache I 1 p. 304) ita hoc loco non produci; cf. vs. 6: *ἅπαντά τρέφουσι*. At interdum metri causa syllaba brevis ante mutam cum *ρ* coniunctam producitur ut vs. 6: *τε̄τρᾰτροπον*; cf. Od. *α* 1: *πολῡτροπον*.

vs. 4. *ἅπαντα, ἅπερ]* lectio C depravata est: primum nasalis *ν* est omissa, id quod non raro in papyris reperitur; cf. Mayser l. c. p. 190/1: 'In den Papyrus aller Jahrhunderte (ist) die Auslassung des Nasals sowohl im Inlaut als im Auslaut eine häufige

Erscheinung.' Tum *ὅπερ* pro *ἅπερ* legi non mirum, cum vocales *α* et *ο* saepissime commutentur; cf. Mayser l. c. p. 60/1. Neque vero dubium est, quin *ἅπαντα ἅπερ* sit genuinum; nam id etiam in B scribendum est, cum *απαντ' απερ* metro obstet. Meineke et Abel quidem ad hiatum tollendum scripserunt *ἅπαντα, τἄπερ*, id quod non necessarium est; nam hiatus eo excusatur, quod cum caesura trochaica coincidit et intermissio fit non solum quod ad metrum sed etiam ad sensum attinet; similiter Il. *Α* 565: *ἀλλ' ἀκέουσα κάθησο, ‖ ἐμῷ δ' ἐπιπείθεο μύθῳ.* Praeterea animadvertendum est hic duas vocales eiusdem generis concurrere, de qua re fusius agit Gellius N. A. VI 20, 5—6 (ed. C. Hosius): 'Nam vocalis in priore versu extrema eademque in sequenti prima canoro simul atque iucundo hiatu tractim sonat. Est adeo invenire apud nobiles poetas huiuscemodi suavitatis multa quae appareat navata esse non fortuita, sed praeter ceteros omnis apud Homerum plurima. Uno quippe in loco tales tamque hiantes sonitus in assiduis vocibus pluribus facit'; exempla sunt haec: Il. *Θ* 105: *ἀλλ' ἄγ' ἐμῶν ὀχέων ἐπιβήσεο, ‖ ὄφρα ἴδηαι;* hym. Hom. Merc. 446: *τίς τέχνη, τίς μοῦσα ‖ ἀμηχανέων μελεδώνων.*

vs. 5. *ἐξ οὗ]* sic legitur in omnibus recensionibus, sed Miller, quem omnes editores praeter Meinekium secuti sunt, proferens hymn. orph. 14, 10: *ἐκ σ ο ῦ γὰρ καὶ γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθε* vult *ἐκ σοῦ* vel *ἐκ σέο* scribere, quia, si *τεταγμένα* verbum principale intellegitur, ad *στοιχεῖα* subiectum *τά* articulum addi exspectatur. Sed id parvi momenti est; nam articulus cum ad nomina ut *ἥλιος, θάλασσα, οὐρανός, ἄστρα, γῆ* al. (v. Kühner-Gerth l. c. II 1 p. 602 sq.) tum ad *στοιχεῖα* deesse potest; cf. II. Petr. 3, 12: *ἡμέρας, δι' ἣν οὐρανοὶ πυρούμενοι λυθήσονται καὶ στοι-*

χεῖα καυσούμενα τήκεται. Ceteris in rebus nihil est, cur mutetur. Nam *στοιχεῖα* a Sole *τεταγμένα* esse iam pronomine *σοῖσι* satis aperte dictum est, ut id vocibus *ἐκ σέο* premere non necesse sit; immo *ἐξ οὗ* coniunctione temporali introducitur enuntiatum, cuius copula *ἐστίν* ut saepe omissa est; cf. Xen. Mem. I 4, 6: *ἐπεὶ δὲ τὰ ἀποχωροῦντα δυσχερῆ, ἀποτρέψαι τοὺς τούτων ὀχετούς . . .*; sententia igitur huius versus eadem est fere atque pap. vs. 1768: *ἐξ οὗ τὰ πάντα συνέστηκεν.* vs. 5 et 6 vero eo modo cum versu 4 cohaerent, ut sententia, quae versu 4 continetur, versibus 5 et 6 pluribus verbis explicetur; quae interpretatio particula *γάρ* introducitur.

Sensu caret *πεφυγε*, quod in C post *γάρ* legitur; neque vero dubium videtur, quin *πεφυγε* perperam scriptum sit pro *πέφυκε* — id suspicati sunt Wessely (cf. Denkschr. XLII ind. verb.) et Kenyon (adn. ad pap. mus. Brit. CXXII 78) —, quod a librario additum est, praesertim cum copula huius enuntiati desit.

vs. 6. Verbum in hoc versu varie traditur: A *τρεπων*, B *τρεφουσιν*, C *τρεπουσιν*. Primum statuendum est *τρέπουσιν* corruptum esse; nam *στοιχεῖα . . . τρέπουσιν κόσμον* sensu carere nemo non concedet. Cum autem *π* et *φ* (ut omnino litterae tenues et aspiratae) saepissime in papyris confundantur (cf. Mayser l. c. p. 173 sq.), haud dubie *τρέπουσιν* ex *τρέφουσιν* depravatum est. Itidem reici oportet lectionem *τρέπων*. Nam in hoc versu verbum finitum, non participium postulatur. Una quidem exstat ratio, qua *τρέπων* retineri possit; quam indicavit Dieterich. Is vir doctus enim vs. 5 et 6 transposuit, ut participio *τρέπων* bene continuetur series participiorum versuum antecedentium *ἐποχούμενος, διέπων, ἑλίσσων, γεννῶν*, et restituit hoc modo: *κόσμον ἅπαντα τρέπων τε τετάρτιον εἰς ἐνιαυτόν. | ἐκ σοῦ γὰρ στοιχεῖα τεταγ-*

μένα σοῖσι νόμοισι; quos explicat: 'Der grosse Sonnen- und Feuergott umkreist den Himmel alles zeugend, das er wieder auflöst und den ganzen Kosmos in drei Jahren wendend.' At primum mirum est consone in omnibus recensionibus hunc versum falso loco positum esse, cum ceteris locis, quibus textus genuinus perturbatus est, illae inter se discrepent (cf. adn. ad vs. 7 p. 30 et ad vs. 14 p. 37); tum Dieterich *ἐξ οὗ* traditum in *ἐκ σοῦ* mutare cogitur, id quod, si ordo versuum traditus retinetur, non necessarium est; denique, quod gravissimum est, Dieterici sententiae repugnat *τετράτροπον* epitheton anni, quod quidem huic viro docto scribenti illum librum nondum praesto erat; cum enim in hoc vocabulo vis *τρέπειν* iam insit, lectionem *τρέπων* esse depravatam perspicuum est. Quin etiam facile fieri potuit, ut voce *τετράτροπον* illa corruptela *τρεπων* orta sit. Dieterich quod *τρέφειν* tolerari posse negat, id non intellego; nam cur non *στοιχεῖα* i. e. 'elementa' ignis aqua aer terra, ex quibus omnia corpora composita sunt, in quae omnia rursus solvuntur (cf. Arist. de cael. III 3; metaph. IV 3) *κόσμον τρέφειν* dici potest, praesertim cum illa ab Empedocle (fr. 6, H. Diels, Frgm. d. Vorsokratiker[2] I p. 175) *ῥιζώματα* appellentur?

τετράτροπον] vocabulum a C traditum, quod solum metro et sensui satisfacit, etsi adhuc ignotum erat, tamen recte compositum est ex *τέτρα-* et *-τροπος*, quod a verbo *τρέπειν* derivatum in adiectivo *πολύτροπος* reperitur, ita ut hoc vocabulum novum valeat 'quattuor vices habens', commodum epitheton anni.

vs. 7. *κλήζω σε]* in hoc versu consentiunt B et C_1 — vs. 7—10 in papyro mus. Brit. desunt; sed ad eius locum succedit recensio pap. Berol. I 315 sq., quam C_1 dico —, quae *κληζω σε* praebent; A, quod

σε γαρ κληζω exhibet, discrepat non modo quod ad lectionem, sed etiam ad ordinem versuum spectat; in A enim vs. 7 est positus post versum 9. At eum post versum 6 inserendum esse ex eo cognoscitur, quod genetivi *γαίης*, *χάεος*, *Ἄιδος* item atque *οὐρανοῦ* referuntur ad substantivum *ἡγεμονῆα*. Quod ad singula verba pertinet, versum in C_1 *κλυθι μακαρ σε γαρ κληζω τον ουρανον ηγεμονηα* depravatum esse ex eo, quod metrum turbatum est, elucet. Restitui potest versus duplici modo: aut *μάκαρ* eicitur, quod vult Meineke, aut *γάρ* removetur et *σέ* post *κλήζω* ponitur. Cum autem *γάρ* supervacaneum, *μάκαρ* epitheton linguae sollemnis vox sit usitata (cf. Fr. Adami, 'de poetis scaenicis graecis hymnorum sacrorum imitatoribus' in: Jb. f. Philol. suppl. XXVIII p. 252 sq.), non dubium est, quin hoc accipiendum illud repudiandum sit. Praeterea si via ac ratione uti volumus, *κλῦθι μάκαρ* mutare non licet, cum hoc in A B C_1 legatur, *γάρ* autem solus A habeat. Illud confirmatur etiam hymn. orph. 66, 10: *κλῦθι μάκαρ, κλήζω σε πρὸς εὐιέρους ἐπιλοιβάς.*

οὐρανοῦ ἡγεμονῆα] vocis *οὐρανοῦ* diphthongus posterior *ου* corripitur, quia vocabulum sequens a vocali incipit (v. Kühner-Blass I 1 p. 193); cf. Il. *I* 560: *καλλισφύρου εἵνεκα.* Item in versu sequenti diphthongus *αι* coniunctionis *καί* ante vocalem brevis est.

vs. 8. *χάεος]* in A legitur *χαοιο*, quae forma est corrupta, cum vocabulum *ὁ χάος* non exstet; immo *χάος* tertiam quae dicitur declinationem sequitur, ut genetivus sit *χάους* vel *χάεος*, qui, ut exemplum afferam, invenitur Orph. Arg. 421: *πρῶτα μὲν ἀρχαίου χάεος μέλανα σκότον ὕμνουν.*

Ἄϊδος] sic C_1; *αϊδαο* A; *αϊδεος* B. — *Ἀΐδαο* metro non convenit; depravata est forma *αϊδεος*,

quippe quae alibi non exstet. — Praeterea particulae, quibus substantiva *γαίης*, *χάεος*, *Ἄϊδος* coniunguntur, a librariis perturbatae sunt; A enim habet: *γαι. τε χα. και αιδ.*; B: *γαι. τε χα. τε και αιδ.*; C_1: *και γαι. χα. τε και αιδ.* Certe metri causa scribendum est *χάεός τε καὶ*. At dubitari licet, utrum *καὶ γαίης* an *γαίης τε* accipiendum sit; cum ea res ex ratione, qua aliis locis carminum magicorum complura membra inter se conectuntur, diiudicari non possit, codices sequendi sunt i. e. scribendum est *γαίης τε* (A B).

vs. 9 aeque atque vs. 10 deest in C_1; deest autem in C_1 subiectum verbi *νέμονται*, unde cognoscas, quam non accurate magici compilatores talia carmina confecerint, id quod iam Dilthey l. c. p. 383 animadvertit.

vs. 10. Initium huius versus varie traditur: *και δη νυν λιτομαι σε μακαρ* A; *και νυν δη σε λιταζομαι μακαρ* B. — Miller vocabulo *μάκαρ* deleto lectionem B sic restituit: *καὶ νῦν δή σε λιτάζομαι, ἄφθιτε δέσποτα κόσμου*. Suo iure vero Meineke ostendit hunc versum ferri non posse, qui caesura careat. Itaque hic vir doctus scripsit: *καὶ δὴ νῦν λίτομαί σε μακάρτατε δέσποτα κόσμου*. Neque vero haec mutatio placet, cum *ἄφθιτε* tollatur, quamquam id duabus recensionibus traditur et epitheton Solis usitatum est (hymn. Orph. 10, 5; 15, 1 al.), atque *μάκαρ* sine ratione in *μακάρτατε* mutetur. Simplici modo versus restituitur, si ex lectione recensionis A *σε* eicitur, id quod iam Miller proposuit. Meineke quidem vituperat, quod obiectum verbi *λίτομαι* deest; neque vero id ullius momenti est, cum *σέ* sit in versu 7 atque verba *κλήζω σε* et *λίτομαι* arte cohaereant. At dicat quis iam in versu 7 legi *μάκαρ*, quod nihil valet in huius aetatis hymnis; nam cf. eundem exitum in versu 10 et 25: *δέσποτα κόσμου*, porro *ἄφθιτε* in

versu 10 et 26, postremo *δαῖμον ἀκοιμήτου πυρός* (vs. 26) ~ *διέπων φλογὸς ἀκάματον πῦρ* (vs. 2).

vs. 11. *τ' ἐπὶ χῶρον] επι χωρων* A, *τ' ενι χωρω* B, *ενι χωρω* C. Primum perquirendum est, utrum pluralis an singularis numerus anteponendus sit. Per se quidem *χωρων* pluralis non falsus est, cum de singulis sedibus mortuorum cogitari possit, quorum mentionem fecit Lactant. VII 7, 13: 'esse inferos Zeno Stoicus docuit et sedes piorum ab impiis esse discretas; et illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere poenas in tenebrosis locis atque in caeni voraginibus horrendis.' Tamen in hymno pronior sum ad singularem praeferendum, qui in duabus recensionibus tradatur. Sed gravius momentum accedit: de communi quadam omnium mortuorum terra vetus opinio exstatabat, quae ibi putabatur sita, ubi Sol occidit. Id ex eo concluditur, quod *ζόφος* apud Homerum et occidentem et terram mortuorum significat; testimonia sunt Od. *κ* 190 et *λ* 154; cf. de hac re A. Dieterich, 'Nekyia', Leipzig 1893 p. 19 sq. Quem in communem locum defuncti omnes conveniunt; itaque Tiresias Ulixem interrogat Od. *λ* 94: *τίπτ' αὖτ', ὦ δύστηνε, λιπὼν φάος ἠελίοιο* | *ἤλυθες, ὄφρα ἴδῃς νέκυας καὶ ἀτερπέα χῶρον.* Cum igitur illa terra sita sit in occasu Solis et hic hymnus in Solem dirigatur, vs. 11 illam opinionem priscam servatam esse suo iure Dieterich l. c. p. 23 collegit. Qua de causa verisimillimum est pluralem *χώρων* corruptum esse. Disputandum est nunc, utrum accusativus sing. an *χώρῳ* dat. sing. accipiendus sit. Quamvis hic melius tradatur, tamen illum praefero; *χῶρον* enim genuinum esse indicare videtur particula *τέ* (B), qua nulla nisi ea substantiva coniungi possunt, quae artissime inter se cohaerent, h. e. ea, quae eundem casum sequi oportet. Eadem de causa prae-

positio *ἐν*, quae in B et C legitur, est reicienda. Quod praepositio iuxta alterum substantivum *(γαίης κευθμῶνα)* omissa, ad alterum *(νεκύων χῶρον)* addita est, nihil offensionis habet, cum id persaepe inveniatur apud poetas lyricos et tragicos; cf. Kühner-Gerth II 1 p. 550. Ut exemplis utar, simillime legitur Aesch. *Ἱκετ.* 311: *καὶ μὴν Κάνωβον κἀπὶ Μέμφιν ἵκετο* vel Eur. *Φοιν.* 283: *πέμπειν μαντεῖα σεμνὰ Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάρας.*

vs. 12 in A B C C_1 traditur. C hic ab reliquis recensionibus maxime discrepat; versus enim in C sic legitur: *πεμψον μαντιν εξ αδυτων τον αληθεα λιτομε σε*; *λιτομε* ex *λίτομαι* depravatum esse commemorari vix necesse est; verba versum non efficere apparet. L. Deubner quidem 'de incubatione capita quattuor' Lips. 1900, p. 31 versum restituit hoc modo: *ἐξ ἀδύτων πέμψον, λίτομαι, τὸν ἀληθέα μάντιν* (sive *μάντιν ἀληθῆ*). Neque vero id comprobari potest; immo intellegendum est illa verba ex compluribus versibus contracta esse: voce enim *μάντιν* explanatur *δαίμονα*; nam daemonum est vaticinari, cf. Buresch, 'Klaros', Leipz. 1889, p. 58 sq.; testimonium est pap. Berol. II 53 sq.: *θεὲ θεῶν, βασιλεῦ βασιλέων, καὶ νῦν μοι ἐλθεῖν ἀνάγκασον φίλον δαίμονα χρησμῳδόν.* Porro verba *τὸν ἀληθέα* indicant verba vs. 15: *ὡς . . . ἀληθείην καταλέξῃ.* Formula *λίτομαί σε* ex hymni integri versu 10, qui quidem in C deest, est sumpta. Perspicuum est igitur, qua ratione scriptores magici versus genuinos dilacerantes usi sint. — In reliquis recensionibus prior pars versus consone traditur; de posteriore parte recensiones discrepant. B exhibet: *οπως μεσαταισι* (huius vocis *ι* litteram finalem oculis cognoscere difficile est; *σ* et *ι* enim tam arte conscripta sunt, ut unam litteram efficere videantur)
εν αις
νωρεσσιν; A: *τη δεινα μεσαταισι ωραις*; C_1: *ἐμαις*

ιεραις επαοιδαις. In A versum corruptum esse et ex eo, quod metrum deletum est, et ex formula τη Δ i. e. τῇ δεῖνα elucet, quam in hymnos postea a magis institutam esse identidem observari potest. Contra B verba genuina praebet, quae in papyro primo corrupta, postea sic sunt correcta: ὅπως μεσάταισιν ἐν ὥραις. Verba recensionis C_1 huic loco non convenire iam Dilthey recte sensit, eo magis vero tollenda sunt, quod idem versus exitus in versu 17 redit. Sed cognoscas, qua ratione verba ἐμαῖς ἱεραῖς ἐπαοιδαῖς (C_1) in textum irrepserint: in recensione C enim hymnus versu 12 finitur; hanc hymni formam non unicam fuisse, sed praeter eam exstitisse alias recensiones, quae non amplius quam duodecim versus continebant, verisimillimum est. Sin autem carmen versu 12 desinit, fieri non potest, ut verba genuina, quae in B traduntur, retineantur, quia omisso versu sequenti et ὅπως absurdum est et μεσάταισιν ἐν ὥραις difficulter intellegi potest; itaque necesse erat finem versus integri mutare, id quod compilator magicus, qui carmen genuinum contraxit, eum in modum fecit, ut finem versus 17, quippe qui ad hymnum finiendum bene quadraret, pro genuinis verbis interpolaret.

vs. 13. ἐλευσόμενον] sic A B, ελαυνομενον C_1. Futurum ἐλευσόμενον non solum melius traditur, sed etiam necessarium est ob verba praecedentia πέμψον δαίμονα ὅπως. ὅπως enim in versu antecedenti pro ὡς positum est; nec mirum si memineris ὅπως eodem modo adhiberi atque ὡς in comparationibus et cum superlativis coniunctum; cf. Kühner-Gehrt l. c. II 1, p. 27. Exempli gratia affero Aesch. Prom. 1001 (Weil): ὀχλεῖς μάτην με κῦμ' ὅπως κατηγορῶν et Aesch. Ag. 605: ἥκειν ὅπως τάχιστ' ἐράσμιον πόλει. In hymno ὅπως sive ὡς cum participio coniunctum est ad consilium significandum, ut Aristoph. Eccl. 782:

(τὰ ἀγάλματα) ἕστηκεν ἐκτείνοντα τὴν χεῖρ' ὑπτίαν οὐχ ὡς τι δώσαντ' ἀλλ' ὅπως τι λήψεται. Etiamsi nullus locus mihi suppeditat, quo ὅπως cum participio conexum est, tamen his analogiis ductus nihil dubito, quin id fieri possit. Praeterea formam ὅπως metro condonabis. Dilthey quidem, qui ἐλευσόμενον repudiat, ἐλαυνόμενον ea ratione defendit, ut ἐλαύνειν esse vocabulum sermonis mystici proprium contendat; nec vero is lectionem B ὅπως . . . ἐλευσόμενον esse falsam ostendit. Porro ille vir doctus νυκτός cum προστάγμασι iungendum esse censet, quae opinio comprobari non potest; nam haec interpretatio nimia arte facta est — eam miram esse Dilthey ipse concedit —, cum ea noctem esse personam, quae daemonem emittat, putare cogamur; immo a Sole petitur, ut illum apparentem faciat. Multo vero simplicius est νυκτός cum ὥραις conectere, quin etiam hoc est necesse; nam μεσάταισιν ἐν ὥραις significatur et medius dies et media nox, et cum in antecedentibus versibus non dicatur hic mediam noctem intellegendam esse, νυκτὸς ad ὥραις referendum est. Ex quo sequitur aliud vocabulum ad προστάγμασι attribuendum esse: Meineke, ut opinor, recte coniecit σοῖς; quam coniecturam probandam esse elucet ex fine versus, qui in papyro varie traditur: A enim praebet σαις επ αναγκαις, B et C_1 σης υπ αναγκης. — ἀνάγκαις esse pravum Dilthey demonstravit, qui voce ἀναγκη in carminibus magicis artem deos vel daemones cogendi significari solere adnotat, et cum de diversis artibus dei cogendi cogitari non possit, pluralem numerum reiciendum, singularem ἀνάγκης, qui apte et commode in duabus recensionibus legitur, retinendum esse apparet. Praeterea animadvertendum est praepositionem in A recensione, in qua legitur ἐπ', corruptam esse, cum ἐπί ad causam significan-

dam non nisi cum verbis affectuum inveniatur; praeferenda est igitur lectio B C_1 *ὑπ'*, ita ut *ὑπ' ἀνάγκης* certissimum videatur; cf. Aristoph. Eq. 802 sq.: *ὁ δὲ δῆμος . . . ὑπ' ἀνάγκης ἅμα καὶ χρείας καὶ μισθοῦ πρὸς σὲ κεχήνῃ.* Quaerendum est nunc, ad utrum substantivum referendum sit pronomen possessivum, quod est ante *ὑπ' ἀνάγκης*: ad praecedens *προστάγμασι* an sequens *ἀνάγκης*. *σῆς ὑπ' ἀνάγκης* per se stare potest, cum *σῆς* eum in modum explicari possit, ut pronomen possessivum sit pro genetivo obiectivo pronominis personalis *σου*, ut illa verba significent: 'ex vi, quae in te (sc. in deum) exhibetur'. Nec vero necesse est aliquid adiungere ad *ὑπ' ἀνάγκης*, cum id etiam sine pronomine plane apertum sit. Contra *προστάγμασι* qua voce hic instrumentum significatur, indiget attributo h.e. pronomen referendum est ad *προστάγμασι*, qua de causa *σης* vel *σαις* est mutandum in *σοῖς*.

vs. 14 vehementer corruptus sic traditur. A:
χω
ουπερ απο σκηνους κατετοτε λιψανον (sic in papyro legendum, non *λιψανων*, quod Wessely vult) *εν χερσιν εμαις*; B: *ουπερ απο κεφαλης σκηνους κατεχω ταδε και φρασατω μοι τω Δ*; C_1: *ουπερ απο σκηνους εστι τοδε και φρασσατω μοι.* Certum est initium versus *οὗπερ ἀπὸ σκήνους*, quae verba consone praebentur in A B C_1; *κεφαλῆς* quod in B ante *σκήνους* legitur, postea in textum irrepsisse apparet. Itidem verba *καὶ φρασάτω μοι τῷ δεῖνα* postea accesserunt. Nam primum haec cum priore versus parte tam male cohaerent, ut plane e contextu excidant; tum ea supervacanea sunt, quia idem in versu sequenti dicitur; denique glossema indicat formula *τῷ δεῖνα.* Ex quibus sequitur, ut ex recensione A versus eruendus sit.

κατέχω] quod A et B praebent, praeferendum est copulae *ἐστίν*, quod hoc loco parum gravitatis

habeat. Praeterea lectio *κατέχω* verbis hymno antecedentibus (vs. 1951 sq.) *οὗπερ ἀπὸ σκήνους κατέχω τοῦ δεῖνα* confirmatur. Ad id monendum est *κατέχω* verbum in tabellis defixionum esse usitatissimum, vid. DTA praef. p. VI; Defixionum tabellae (ed. A. Audollent, Paris 1904) ind. p. 478.

τάδε λείψανα] *τοτε* quod est in A, sensu caret; haud dubie id ex *τόδε* est ortum, quoniam dentales *τ* et *δ* saepe in papyris commutantur, id quod imprimis proprium est graeci sermonis Aegypti; v. Mayser l. l. p. 175. cf. etiam vs. 16 lectionem C_1 *μειλιχιον*. Pro *λιψανον* scilicet scribendum est *λείψανον*. Ne *τόδε λείψανον* quidem genuinum esse ex sequentibus elucet verbis *ἐν χερσὶν ἐμαῖς*. Etiam hoc loco textum amplificatum esse ex eo colligitur, quod illis verbis metrum diruitur. Vides enim hunc versum septem pedes habere, quorum ultimus est anapaestus; cum vero vocabula *τά* et *ἐμαῖς* supervacanea sint, quia *χερσίν* plane sufficit ad sensum intellegendum, non dubitari potest, quin solum *χερσίν* sit genuinum. Neque autem *ἐν* et *ἐμαῖς* delere satis est ad versum sanandum: immo praeterea pro *τόδε λείψανον* pluralis numerus *τάδε λείψανα* ponendus est, quia ultima syllaba vocis *λείψανον* positione producitur. Primo pluralem *τάδε λείψανα*, qui etiam pap. vs. 1405/6: *ἐκ τῆς τροφῆς καταλείψανα* reperitur, in textu fuisse indicium praebet recensio B, quae habet *κατέχω τάδε*; sic enim legendum est in papyro (Miller), non *τοδε* (Wessely). — Praeterea adnotandum est hunc versum in recensione A ante versum 13 positum esse; sed cum *ὥραις* et *νυκτός* arte cohaerere supra viderimus, versus sic ponendos esse, ut in B et C_1 traduntur, luce clarius est.

vs. 15. *ὡς, ἅ]* *ην οσα* A, *ὁσα* B, *οσσα* C_1. *ην* ante *οσα* absurdum; quaerendum est igitur, utrum scriben-

dum sit *οσα* an *οσσα*. Exspectatur vero in hoc versu dici, quae daemon a Sole missus faciat, i. e. oportet versum continere enuntiationem finalem, quae coniunctione finali *ἵνα* vel *ὡς* introducitur, sive enuntiatum relativum finale, quod post verba mittendi imprimis usitatum est: exempli gratia affero Thuc. VII 25, 1: *πρέσβεις ἄγουσα, οἵπερ τὰ σφέτερα φράσωσιν*. Quae opinio comprobatur particula *ἵν'*, quae in B ante *ἀληθείῃ* legitur et in A per itacismum in *ην* depravata videtur esse. Neque dubium est, quin coniunctivo *καταλέξῃ* exprimatur mandatum daemonis. Ut autem particula *ἵνα* enuntiati finalis initium faciat, metri causa fieri non potest; coniunctio *ὡς*, etsi non traditur, tamen levissima mutatione ex *ος* restitui potest. Diiudicandum est igitur, utrum accipiendum sit *ὡς* an *ὅς* pronomen, quod a pronomine relativo *ἅ* (quod est obiectum verbi *θέλω*) seiungendum esse editores non animadverterunt. Defendi quidem potest et *ὡς*, *ἅ* et *ὅς*, *ἅ*. Quod *ὅς* est syllaba brevis, haudquaquam offendit; nam *ὅς* in initio versus similiter atque in hymno Typhonis (vs. 261 sq.) *σέ* producitur, ad quem locum Dieterich 'de hymnis orphicis' p. 46 adnotat: '*σέ* in versus cuiusque initio acri pronuntiatione productum esse patet'; cf. etiam hym. Ven. vs. 6 infra p. 64. Tamen praefero *ὡς*, *ἅ*; nam *ὅς*, *ἅ* pronomina continua, quibus duo enuntiata relativa introducuntur, vix tolerari possunt. Praeterea mandatum daemonis acrius premitur coniunctione finali quam pronomine, quia iam sententia versus antecedentis a pronomine incipit. Si vero *ὡς ἅ* lectio est genuina, lectiones corruptae ABC$_1$ ea ratione explicantur, ut ex *ὡς*, *ἅ* factum sit *ὅς*, *ἅ*; postea a librariis non iam intellectum est vocabulis *ὅς* et *ἅ* duas enuntiationes introduci, sed *ὅς*, *ἅ* quod unum pronomen *ὅσα* esse putabant in *ὅσσα* corruptum est; quin

etiam maioris perspicuitatis causa in A additum est *πάντα*. Ex his quoque intellegas, quae ratio intercedat inter recensiones B A C_1; cf. p. 39 et p. 46.

γνώμησιν] vox *γνώμη*, quippe quae in B et C_1 tradatur, integra, *ἐν φρεσὶν ἐμαῖς* postea pro vocabulo genuino substitutum videtur esse, cui sententiae id favet, quod neque *ἐν φρεσὶν ἐμαῖς* neque *φρεσὶν* ad metrum aptum est. Difficilius est autem diiudicare, utrum scribendum sit *γνώμαισιν* (B) an *γνώμησιν* (C_1), quia et in hymnis magicis (cf. huius hymni vs. 12: *μεσάταισιν*; at vs. 22: *ὑποθημοσύνησι)* et in carminibus Orphicis (cf. 39, 7: *γνώμαισιν*; 86, 8: *γνώμησιν*) formae in *-αισιν* et *-ησιν* desinentes promiscue adhibentur. Cum vero hae formae multo rarius in hymnis magicis reperiantur, praeterea *γνώμησιν* in papyro Berolinensi tradatur, quae quod ad res orthographicas attinet, purior est quam papyrus Parisina praefero *γνώμησιν*.

ἀληθείην καταλέξῃ] de fine versus recensiones dissentiunt; in A enim legitur: *παντα μοι εκτελεση*, in B: *ιν αληθειη καταλεξη*, in C_1: *αληθειην καταλεξη*. Vides igitur B et C_1, quantum ad verba adhibita pertinet, congruere, A plane differre. Sed iam priores editores senserunt B et C_1 exhibere verba genuina, quippe quae verbis recensionis C *τὸν ἀληθέα* (cf. supra p. 33) stabiliantur. Ceterum quaerendum est, utrum *ἀληθείην* (C_1) an *ἀληθείῃ* (B) in textum sit recipiendum. Per se quidem *ἀληθείῃ καταλέξῃ* ferri potest; sed usitatior est elocutio *ἀληθείην καταλέγειν*, qua sola Homerus utitur ut Od. *η* 297: *ταῦτά τοι ἀχνύμενός περ ἀληθείην κατέλεξα*; et cum ei, qui haec carmina composuerunt, in ea inserere soleant Homeri fragmenta (cf. supra p. 23 vs. 2: *ἀκάματον πῦρ* et infra p. 66 hymn. Ven. vs. 7: *φιλότητι καὶ εὐνῇ)* praefero accusativum *ἀληθείην*. At male concinunt *ἃ θέλω* . . .

ἀληθείην καταλέξῃ: nam et ad verba *ἃ θέλω* vocabulum *τελεῖν* exspectatur, quod in A legitur, et ad *ἀληθείην καταλέξῃ* postulatur *περὶ τούτων, ἃ φρονῶ*. Ex his sequitur, ut a mago hic duo versus compilati sint, id quod, qui recensionem A scripsit, sensit.

vs. 16. In hoc versu A et C_1 consentiunt, quae habent accusativos *πραΰν, μειλίχιον . . . φρονέοντα*, discrepat B, in quo nominativi *πραΰς, μειλίχιος* et pro *φρονέοντα* legitur *φρονεοιτο*. Certe corruptum est *φρονεοιτο*, cum, quantum video, forma medialis huius verbi non sit in usu; itaque Meineke *φρονέῃ τε* proposuit; neque vero quisquam negare poterit *φρονεοιτο* potius ex *φρονέοντα* quam ex *φρονέῃ τε* depravatum esse. Iam ex ea re elucet nominativos in accusativos esse mutandos, qui verborum ambitum a verbis *πέμψον δαίμονα* incipientem bene perficiunt, neque vera sensit Dilthey, qui accusativos hoc loco male convenire contendit.

πραῢν] sic A, *πραῢς* B, *πρηυν* C_1. Hoc loco res contrarie se habet atque supra in versu 1; ut hic *ἀεροφοιτήτων* postea in *ἀεροφοιτάτων* mutatum esse verisimile est, ita in versu 16 pro *πραῢν* postea forma ionica *πρηῢν* scripta videtur esse; cui sententiae favet, quod *πρηῢν* ea recensione traditur, quae recentior est quam A vel B; cf. infra p. 50; anteferendum est igitur *πραῢν*.

vs. 17. *μηνίσῃς]* huius vocis vocalis *ι* in praesenti et imperfecto, etsi natura longa est (cf. C. Brugmann, 'de Graecae linguae productione suppletoria' in: Stud. z. griech. u. lat. Grammatik ed. G. Curtius IV p. 182, qui *μηνῖω* a stirpe *μῆνι-* ducendum esse docet), apud Homerum uno loco (Il. *B* 769) excepto semper corripitur; exempla collegit G. Hermann 'de Rheso tragoedia' Opusc. III 298. Atticis ignota est correptio. In futuro et aoristo *ι* semper longum est.

ἐπ' ἐμαῖς ἱεραῖς ἐπαοιδαῖς] recensiones discordant: A praebet *κρατεραις επ εμαις επαοιδαις*, B: *επ εμαις ιεραισιν επαοιδαις*, C_1: *επ εμαις ιεραις επαοιδαις*. Videlicet in B metri causa *ἱεραῖσιν* corrigendum est in *ἱεραῖς*. Inquirendum est igitur, utra lectio sit recipienda: *κρατεραῖς ἐπ' ἐμαῖς ἐπαοιδαῖς* an *ἐπ' ἐμαῖς ἱεραῖς ἐπαοιδαῖς*. Quam rem diiudicare quamquam difficile est, tamen hanc lectionem praeponendam esse puto; nam in hoc versu inter recensiones intercedere eandem rationem atque in versu 15 facile intellegas, et cum in hoc versu lectionem A (*πάντα μοι ἐκτελέσῃ*) corruptam esse statuerimus, iure in versu 17 quoque recensioni A diffidendum est. Huc accedit, quod epitheton *κρατερός* non tam bene quam *ἱερός* in hymnum quadrat, qui *ἐξαίτησις* (vs. 434), non *ἐπάναγκος* (cf. infra p. 76) inscribitur; cui sententiae favet versus *εὐχῆς πρὸς Σελήνην* 2787: *εὐμενίῃ δ' ἐπάκουσον ἐμῶν ἱερῶν ἐπαοιδῶν*. Praeterea lectio *ἐπ' ἐμαῖς ἱεραῖς ἐπαοιδαῖς* eo confirmatur, quod haec verba in C_1 efficiunt finem versus 12, quem ex versu 17 eo irrepsisse verisimile est (cf. supra p. 34). Quibus de causis retineo lectionem B C_1.

vs. 18 deest in A.

Dilthey hunc versum sic interpretatur: 'Die Person des Toten soll stark und hülfreich (*ἄρκιον*), sie soll voll und ganz (*ἅπαν*) erscheinen'. Sed is vir doctus errat. Nam versu sic explicato *φύλαξον* imperativi obiectum intellegi oportet daemonem, qui a Sole mittatur, id quod fieri non potest, immo obiectum est magus ipse, qui daemonem a deo petit. Verba enim versus in orationem pedestrem traducta sunt haec: *ἀλλὰ φύλαξόν με μηδὲ ποιήσῃς πάντας δαίμονας ἐς φάος ἐλθεῖν.* — *φύλαξον* igitur hic, quod ad significationem et structuram attinet, idem fere est quod *κώλυσον*; similiter verbo *φυλάσσειν* utitur Thuc. VII

17, 2: *πέμπουσι δὲ καὶ περὶ τὴν Πελοπόννησον οἱ Ἀθηναῖοι εἴκοσι ναῦς, ὅπως φυλάσσοιεν μηδένα ἀπὸ Κορίνθου καὶ τῆς Πελοποννήσου ἐς τὴν Σικελίαν περαιοῦσθαι.* (De particula *μή* ad verba impediendi modo apposita modo omissa cf. Kühner-Gerth II 2, p. 208; 214 sq.). — *ἅπαν δέμας* igitur non refertur ad mortuum sive daemonem, immo eum in modum intellegendum est, ut singularis numerus sit positus pro plurali *(πάντας δαίμονας)*; cf. Soph. *Αἰ.* 1366: *πᾶς ἀνὴρ αὑτῷ πονεῖ*, quo loco *πᾶς ἀνήρ* idem valet quod *πάντες ἄνδρες*; itidem in hymno *ἅπαν δέμας* significat 'omnes mortui, daemones'. Non licet illa verba ad magum referre, id quod librarius vult, qui in B metrum turbans ante *δέμας* inseruit *μου*. — Sin autem hoc modo *ἅπαν δέμας* recte explicatum est, apparet *ἄρτιον*, quam lectionem B praebet, genuinum, *ἄρκιον* (C_1) pravum esse; neque enim *ἄρκιον* ad ulla verba nisi ad *δαίμονα ... πραῢν μειλίχιον μηδ' ἀντία μοι φρονέοντα* referri potest; cum autem *ἅπαν δέμας*, ad quod adiectivum genuinum spectat, intellegendum sit 'daemones mago inimici' scribendum est *ἄρτιον*, quod adiectivum positum est pro adverbio (cf. Kühner-Gerth II 1, p. 274) *ἄρτι* significante apud scriptores posteriores idem fere atque *νῦν*; cf. Theocr. 23, 26 (ed. Wilamowitz p. 128): *ἄρτι δὲ χαίρειν | τοῖσι τεοῖς προθύροις ἐπιβάλλομαι* et hym. Ven. vs. 9. (infra p. 56): *σήμερον ἄρτι ταχύ.*

Utrum *εἰς* (B) an *ἐς* (C_1) scribendum sit, difficile est dictu; praeferam *ἐς*, quia hoc in recensione C_1 traditur, quam in rebus orthographicis integriorem esse supra p. 39 commemoravimus.

vs. 19—20, qui ab editoribus perperam tractati sunt, in recensione B sic traduntur: *και μοι μηνυσατω ο Δ̣ το τι η ποθεν η δυναται μοι νυν εις υπηρεσιαν και τον χρονον ον παρεδρευει.* Sine ulla difficultate ini-

tium vs. 19 et vs. 20 restitui possunt: *καί μοι μηνυσάτω* . . . | *νῦν ἐς ὑπηρεσίαν καὶ τὸν χρόνον, ὃν παρεδρεύει*; posterior pars vs. 19 corrupta est. Certum videtur in fine vs. 19 fuisse verbum movendi, ad quod spectant verba *ἐς ὑπηρεσίαν*; hoc in nulla voce nisi in *δυναται* latere potest, ex quo facile elicitur *δύεται*, quod saepe dicitur de mortuis, ut Il. *Ζ* 410/1: *ἐμοὶ δέ κε κέρδιον εἴη* | *σεῦ ἀφαμαρτούσῃ χθόνα δύμεναι* et de daemonibus ut Luc. Philops. c. 31: *ἰδὼν δὲ αὐτὸν* (sc. *τὸν δαίμονα*) *οἶ κατέδυ*. — *δύομαι* autem latius patens significat etiam 'ire, venire:' cf. Il. *Χ* 99: *εἰ μέν κε πύλας καὶ τείχεα δύω*; quo sensu *δύομαι* hoc hymni loco intellegendum est. Quae restant, a mago interpolata suo loco verba genuina moverunt; ut eruatur, quae primo in textu fuerint, fieri non potest; itaque aliquid supplere destiti.

μηνυσάτω] observanda est prosodia huius formae (‒◡◡‒); in aoristo enim *υ* littera semper longa est; cum vero formae praesentis et imperfecti syllabam *νυ* ancipitem habeant (cf. epigr. Meleagri Anth. Pal. V 175, 2 sq.: *μηνύει (‒‒‒) μυρόπνους ἀρτιβρεχὴς πλόκαμος·* | *μηνύει (‒◡◡) ἄγρυπνον μὲν ἰδοὺ βεβαρημένον ὄμμα)*, etiam in aoristo *υ* correptum non est mirum.

vs. 21. *ἔταξας]* A; *εδαξας* C, *εδωκας αναξ* B. — *εδαξας* pro *ἔταξας* perperam scriptum esse perspicuum; *ἔδωκας* magum suo arbitrio pro *ἔταξας* posuisse et ex eo concludi potest, quod verbum *ἔδωκας* male congruit cum sequentibus *ἐν ἀνθρώποισι*, cum *δίδωμι* coniungi soleat cum dativo, non cum praepositione dativoque, et ex voce *ἄναξ*, qua metrum turbatur.

vs. 22. A: *νηματα μοιραων και σαις υποθημοσυνησιν*; B: *οτι επικαλουμαι τετραμερες σου τουνομα χθεθωνι λαιλαμ· ιαωζουχα· πιπτοη*; C_1: deest. — Verba

recensionis B, quae numeris et metro carent, postea a mago addita esse vocabulaque genuina suis locis movisse apparet; itaque ea ad hymnum restituendum nihil valent. Immo ad id adhibenda est recensio A, quae sola versum integrum exhibet; nam in hac reperitur obiectum verbi *δαῆναι*, quod deesse non potest: *νήματα Μοιράων*, quae verba 'fatum' significant ut in hymno *εἰς Σελήνην* 2795: *Δίκη καὶ νήματα Μοιρῶν*.

ταῖς] και (A) absurdum; *ταῖς* correxit Meineke.

vs. 23. *σὸν]* producitur, praesertim cum opponatur genetivis *Ὡρῶν Μοιρῶν*; cf. supra p. 38 adn. ad versum 15.

Ὡρῶν Μοιρῶν τ' ἐς ἀριθμὸν] et lectio recensionum A B *ωρων μοιρων εισαριθμον* et recensionis C_1 *μοιραις αυταις εισαριθμον* corruptae sunt. Exeundum est a voce *εισαριθμον* quae aut *εἰσάριθμον* (sive *ἰσάριθμον*) adiectivum spectans ad *οὔνομα* substantivum aut *εἰς* praepositio cum *ἀριθμόν* substantivo coniuncta esse potest. Quod ad illius significationem attinet, idem valet atque *ἰσόψηφος* vox usitatior, quam Fr. Bücheler in mus. rhen. vol. LXI p. 207 sic explicat: '*ἰσόψηφον* war damals ein ganz geläufiges Wort für Namen oder Verse, die einander gleich sind durch den Zahlenwert ihrer Buchstaben.' Quodnam est hoc *ὄνομα ἰσάριθμον*? Primum cogitandum est de nomine *Ἥλιος*; neque vero huius *ἀριθμός*, qui est 318 (= 8+30+10+70+200), congruit cum *ἀριθμῷ* nominum *Ὡρῶν* (800+100+800+50 = 1750) et *Μοιρῶν* (40+70 +10+100+800+50 = 1070), qui est 2820. Deinde respiciendum est nomen magicum, quod post versum 23 in papyris traditur, sed in omnibus recensionibus varie; A enim exhibet: *αχαϊφω θωθω φιαχα αϊη ηϊα ιαη· ηϊα θωθωφιαχα*; B: *αχαϊφωθωθω· αϊη· ιαη· αϊ· ιαη· αϊη· ϊαω θωθωφιαχα·*; C_1: *αχαιφωθωθω αα ιη*

ιαη ιαα ιηα ιηι αω θωθωφιαχα (Parthey hanc formulam falso sic legit: *αχαι φωθωθω αα ιη ιαη ι̱ αα ιαη ιηι αω θωθωφιαχα*; ex tabula photographice depicta, quam Parthey ad editionem pap. Berol. addidit, elucet hunc virum doctum loco undevicesimo litteram *ι* falso inseruisse). Iam Wessely recte intellexit litteras dispositas esse ratione *ἀναγράμματος*; hoc optime tradit B, quamquam in hac quoque recensione litterae punctis falso seiunguntur; est autem in B litteris recte discretis formula haec:

αχαιφωθωθω· αιη· ιαη· αι· ια· ηαι· ηια· ωθωθωφιαχα.

Cum litteras computes, invenias earum numerum esse triginta sex. Numerus quidem in B additur neque vero certo dignosci potest, utrum legendum sit *γρ' λ̄ζ̄* (sic Wessely in editione) h. e. *γράμματα τριάκοντα ἑπτά*, an *γρ' λ̄ς̄* (sic Wess. in programmate p. 15). Cum hoc numero congruunt litterae traditae in B et C_1; quamquam contrarium contendit C. Wessely, qui in editione pap. Par. p. 94 ad versum 1986 haec adicit: 'Eine bessere Lesart des magischen Wortes achaï etc. ist in dem Papyrus Parthey *αχαι φωθωθω ααιη ιαη ιαα ιηα ιηια ωθωθω φιαχα*, sie empfiehlt sich deshalb, weil sie wirklich 37 Buchstaben, *γράμματα λ̄ζ̄* zählt.' Sed is vir doctus errat; nam in C_1 formula est falsa; ut *ἀνάγραμμα* fiat, littera undecima *α* delenda est, ut etiam in C_1 habeamus triginta sex litteras: *αχαιφωθωθω αιη ιαη ια αι ηαι ηια ωθωθωφιαχα.* Hac forma *ἀναγράμματος* comparata cum recensionis B facile intellegas duas formulas mediarum ordine litterarum differre; hic enim legitur *ια αι*, illic *αι ια*. Etiam hoc loco videtur in C_1 ordo litterarum mutatus esse; nam si *ια αι* ponitur, bis deinceps sequuntur eaedem vocales $\overset{123}{\text{ηια}}$ $\overset{123}{\text{ηια}}$ et $\overset{321}{\text{αιη}}$ $\overset{321}{\text{αιη}}$, cum in B ordo sit hic: $\overset{123}{\text{ηια}}$ $\overset{132}{\text{ηαι}}$ et $\overset{231}{\text{ιαη}}$ $\overset{321}{\text{αιη}}$. At id in medio relinquen-

dum est, an media in formula vocalis, circum quod centrum reliquae litterae ordinatae sint, exciderit, cui opinioni id favet, quod eiusmodi formulae unam — non duas — litteram in medio habeant, ita ut numerus litterarum sit impar; cf. formulas has: *ϑαϑαβαϑαϑ* (pap. Leid. V. XII 5), *αβλαναϑαναλβα* (Wessely eph. gram. no. 111), *ϑοϱιοβϱιτιταμμαωϱϱαγγαδωιωδαγγαϱϱωαμματιτιοϱβοιϱοϑ* (pap. Leid. W ed. A. Dieterich, p. 183, 61 sq.). Hoc vero certum videtur formulam, si habuit triginta septem, non talem fuisse, qualem Wessely restituit: *αχαιφωθωθω αιη ιαη ια|α αιη αιη ιαωθωθωφιαχα*; quae forma iam eo repudianda est, quod vocalis *α* media in formula ter deinceps ponitur; immo *ἀνάγϱαμμα* fuit aut hoc:

αχαιφωθωθωαιηιαηαι⟨α⟩ιαηαιηιαωθωθωφιαχα aut
αχαιφωθωθωαιηιαηαι⟨η⟩ιαηαιηιαωθωθωφιαχα.

In A vero formula tantopere mutilata est, ut ad *ἀνάγϱαμμα* recte restituendum haec recensio nihil valeat. Tantum autem ex formula in A B C_1 tradita elucet B integerrimam formam hymni praebere, A magis corruptum esse quam B, fortasse etiam quam C_1; itaque ratio, qua usus sum in recensendis versibus 15 et 17 (*γνώμησιν*; *ἱεϱαῖς ἐπαοιδαῖς*), bene stabilitur. — At ne huius quidem nominis magici *ἀϱιϑμός* (qui est 7158 vel 7159 vel 7166) cum nominibus *Ὡϱῶν Μοιϱῶν* consentit, id quod ab initio non verisimile est, quoniam formulae magicae postea in hymnum insertae sunt. Itaque *εἰσάϱιϑμον* adiectivum reiciendum et *εισαϱιϑμον* papyri lectio dirimenda est in *εἰς ἀϱιϑμόν* i. e. 'numero' velut Soph. fr. 348 (TGF Nauck): *εἰς ἀϱιϑμὸν ἑξήκοντα δίς*. Ab hoc substantivo *ἀϱιϑμόν* pendent genitivi *Ὡϱῶν Μοιϱῶν*, quorum numinum numerus est tres; cf. Hes. Theog. 901 sq. Sententia igitur huius versus est haec: 'invoco tuum nomen ter'; exempla ter invocandi invenies multa;

v. c. afferam pap. vs. 3175: *λέγε τοῖς μασκελλι κτλ.* Cum vero et particula, qua substantiva *Ὡρῶν Μοιρῶν* coniungantur, vix careri possit et *εἰς* metro repugnet, pro *ΕΙΣ* scribendum est *ΤΕΣ*, ut exitus versus sit hic: *τ' ἐς ἀριθμόν.*

vs. 24. De posteriore versus parte recensiones dissentiunt; A enim praebet: *κοσμου θαλος αυτολοχευτε*; B: *κοσμου πατερ αὐτογενεθλε*; C: *προγενεστερε αυτογενεθλε.* Spurium videtur *πατερ* ob praecedentem vocem eiusdem versus *προπάτωρ.* Neque *προγενέστερε* retinere licet, primum quod hiatus *(προγενέστερε αὐτογ.)* tolerari non potest, tum quod non apparet, quid hic sibi velit comparativus; videtur autem *προγενέστερε* ob vocabulum antecedens *προπάτωρ* in textum irrepsisse. Itaque et *πάτερ* (B) et *προγενέστερε* (C_1) reicio, *κόσμου θάλος* accipio. Difficilius est diiudicare, utrum *αὐτολόχευτε* an *αὐτογένεθλε* sit genuinum. Etsi *αὐτογένεθλε* bis traditur, tamen praefero *αὐτολόχευτε*, lectionem recensionis A. Nam haec pars carminis in A diligentius exscripta videtur esse quam reliqui versus, ut huius recensionis lectiones hic plus valeant quam in antecedenti parte; id quod ex eo quoque intellegitur, quod versus postea correcti sunt: verba enim *κοσμου θαλος αυτολοχευτε* etiam in versu sequenti post *πορφυρε* leguntur in A, ubi quidem postea exstincta sunt. Praeterea epitheton *αὐτολόχευτε* aptius videtur quam *αὐτογένεθλε*, quia *λοχεύειν* verbum rarius invenitur quam usitatius *γίγνεσθαι.*

vs. 25 solum in A traditur, sic quidem: *πορφυρε χρυσοφαηκοσμου θαλος αυτολοχευτε φαεσιμβροτε δεσποτα κοσμου*, quorum verborum deleta sunt haec: *κοσμου θαλος αυτολοχευτε*, ut relinquantur haec: *πορφυρε χρυσοφαη φαεσιμβροτε δεσποτα κοσμου.* — *πόρφυρε* est imperativus praes. verbi *πορφύρειν*, quod valet 'commovere' sive 'aliquid rubro colore inficere';

utrumque hoc loco sensu carere apertum est; postulatur non imperativus, sed epitheton Ἡλίου. Itaque duabus vocalibus commutatis scribendum est πυρφόρε, quod adiectivum egregie convenit Soli, qui est πυρὸς ταμίας (pap. Berol. II 88). — χρυσοφαη pap.; editores vocativi formam χρυσοφαές scripserunt, quae quidem usitatior est quam χρυσοφαή; tamen haec nihil offensionis habet; cf. supra p. 23 adn. ad versum 2; ad exempla illic adnotata addo ex papyris magicis haec. vs. 2522: Ἄρτεμι Περσεφόνη; pap. Berol. II 88: χαῖρε, πυρὸς ταμία; pap. mus. Brit. XLVII 32: χρυσοφαή, λαῖλαψ, κλῦθι; pap. Par. 1757 sq.: πρωτόγονε, παντὸς κτίστα, χρυσοπτέρυγε μελαμφαή. — Quod ad metrum pertinet, ut τρ (cf. supra p. 26) ita χρ vocalem antecedentem naturaque brevem non producunt: cf. vs. 26: ἄφθιτε χρυσεόκυκλε.

Reliqui versus, qui in B C C_1 desunt, integri sunt. Post versum 27 in A leguntur haec: πέμψον τὸν δαίμονα, ὅνπερ ἐξῃτησάμην. Ex quibus Meineke trimetrum restituit hunc: πέμψον τε δαίμον', ὅντιν' ἐξῃτησάμην. At suo iure Dilthey id repudiavit vetans versum ex illis constitui; nam in exitu carminis dactylici trimetrum iambicum principio fuisse parum verisimile est. Praeterea notandum est haec verba nihil facere nisi repetere versum 12: πέμψον δαίμονα τοῦτον . . .

Singulis versibus tractatis perquirendum est, quae ratio inter singulas recensiones intercedat. Quare hanc tabellam propono.

Versus restituti	Versus recensionum A	B	C	C_1
1	1	1	1	
2	2	2	2	
3	3	3	3	de-
4	4	4	4	sunt
5	5	5	5	
6	6	6	6	
7	8	7		7
8	9	8	de-	8
9	7	9	sunt	
10	10	10		de-
11	11	11	11	sunt
12	12	12	12	12
13	14	13		13
14	13	14		14
15	15	15		15
16	16	16		16
17	17	17		17
18		18		18
19	de-	19 [1]	de-	de-
20	sunt	20	sunt	sunt
21	21	21		21
22	22	(22)		deest
23	23	23		23
24	24	24		24
25	25			
26	26	de-		de-
27	27	sunt		sunt

1) fortasse spurii; cf. infra p. 50/1.

Ex hac tabella elucet recensionem C minimum numerum versuum continere, hanc autem recensione C_1 suppleri. Neque solum in C hymnus brevissimus est, sed etiam hac recensione simplicissima forma carminis praebetur. Nam C exhibet nihil nisi appellationem dei (vs. 1—6) et *ἐξαίτησιν* magi (vs. 11—12), quae est gravissima, quam ob rem vs. 12 in omnibus recensionibus legitur. Inquirendum est nunc, utrum in C tradatur genuina forma hymni, ex qua reliquae recensiones versibus additis ortae sint, an hymnus recensionis C ex ampliore hymno, qui traditur in A et B, correptus sit. Certum est C_1 ex A vel B excerptum esse; nam in hac recensione desunt versus, qui quod ad grammaticam et ad sensum pertinet, omitti non possunt: vs. 9, quo subiectum verbi *νέμονται* (vs. 8), et vs. 22, quo obiectum verbi *δαῆναι* (vs. 21) continetur. Suspicari igitur licet eam recensionem, cui plurimi versus insunt, in universum genuinam esse. Quae opinio confirmatur recensione C ipsa; etsi enim in hac hymni simplicissima forma invenitur, tamen et ex multitudine naturaque mendorum et ex discrepantiis, quae nisi ex longiore traditione explicari non possunt, elucet hymnum huius recensionis esse recentiorem quam hymnum recensionum A et B: id quod optime demonstratur versu 12, quem in C ex compluribus versibus compilatum esse supra adnotatum est. Etiam ex recensionibus A et B intellegi potest eum hymnum, qui plurimos versus complectitur, genuinam praebere formam; vs. 18 enim in B et C_1 legitur, in A deest; sed quia in recensione ex genuina excerpta traditur, certe genuinus est. Contra in medio relinquendum est, utrum vs. 19—20, qui solum in B inveniuntur, integri an postea in hymnum inserti sint; nam et vs. 17/8 bene vs. 21/2 excipiunt et vs. 19—20 tam laxe cum versibus antecedentibus sequenti-

busque cohaerent, ut postea in textum irrepsisse videantur. Porro versu 22 bene illustratur, quo modo carmen genuinum mutilatum sit; quamquam enim eum esse necessarium luce clarius est, tamen in B et C_1 omittitur. Sed hoc loco perspicuum est, cur versus desit: suo loco enim is motus est verbis solutis, quae postea ab aliquo mago addita sunt. Postremo illa opinio, quae supra explicatur, hymni ultimis versibus confirmatur; nam versus 24 traditur in A et B, vs. 25—27 solum in A; neque vero quisquam negare poterit versu 24 hymnum male finiri; nam parum gravitatis inest duobus epithetis ad hymnum graviter perficiendum, immo id versibus 25—27, imprimis versu 27 efficitur, quo carmen similiter finitur atque hymn. orph. 14, 14: *λύματα καὶ κῆρας πέμπουσ' ἐπὶ τέρματα γαίης* vel 82, 7: *πέμπειν καρποτρόφους ὄμβρους ἐπὶ μητέρα γαῖαν.*

Restat, ut perquiramus, quo modo id explanetur, quod in A duo versus falso loco (cf. supra p. 30 et 37) positi sunt: est enim vs. 7 ante versum 10 et vs. 13 post versum 14 collocatus. Recensione A cum C comparata invenies post eos ipsos versus, quibus hymnus in C desinit, in A ordinem versuum turbatum esse; nam illic carmen versu 6 desinit — vs. 7—10 desunt — et iterum versu 12. Quae ratio intercedit inter hanc et illam rem? Certum videtur in codice, ex quo A exscriptum est, aliqua vestigia vel notas iuxta vs. 7, 10, 13 positas animadverti potuisse, quas is qui recensionem A scripsit, falso in eum modum interpretatus est, ut versum 7 ante versum 10 et versum 13 post versum 14 ponendum esse putaret. Quid autem significaverunt illae notae? Si quid suspicari licet, putem eum qui fontem recensionis A scripsit, postea hunc cum alia recensione, in qua vs. 7—10 et 13 sq. non iam legebantur, com-

paravisse et partes hymni, quae in hac deerant, notasse in exemplari suo notis, quae quid significarent non intellexit is qui recensionem *A* exaravit. Sed utut res se habet, tantum videtur certum inter versus in A falso loco positos et versus in C omissos aliquem conexum statuendum esse.

Denique quod spectat ad rationem inter recensiones A et B intercedentem, id certe dici potest neque A ex B neque B ex A exscriptum esse: id quod apparet et ex versibus 7 et 13 transpositis et ex eo quod A et B, quamquam eundem numerum versuum habent, tamen non eosdem versus continent: desunt enim in A vs. 18—20 et in B vs. 25—27. Porro recensionem B integriorem esse quam A iam supra p. 46 statutum est. Itaque eam in versibus recensendis sequi oportet, id quod Wessely quoque sentire videtur, qui apparatum criticum ad hymnum recensionis B addidit.

De compositione hymni

Hymnus ex duobus elementis compositus est: alterum ex carminibus simillimis eorum, quae Orphica appellamus, sumptum, alterum est magicum. Ad illa pertinent

1. vs. 1—10: nam hi continent appellationes dei, quae similes sunt appellationibus carminum Orphicorum; neque solum de singulis verbis, sed etiam de partibus totis versuum hi cum illis consentiunt. Quod tabula quadam illustrare iuvat, ita ut hymni magici verbis ea, quae eadem vel similia inveniuntur in hymnis Orphicis, adscribantur.

hymnus magicus	hymni Orphici
vs. 1: *Ἀεροφοιτήτων ἀνέμων ἐποχούμενος αὔραις,*	81, 1: *Αὖραι ποντογενεῖς Ζεφυρίτιδες, ἠερόφοιτοι.*

vs. 2. Ἥλιε χρυσοκόμα, διέπων φλογὸς ἀκάματον πῦρ,

34, 9: χρυσοκόμη, . . .; 66, 1: Ἥφαιστ᾽ . . . ἀκάματον πῦρ; 8, 6: εὔδρομε, ῥοιζῆτορ, πυρόεις . . .; 7, 7: θνητῶν ἀνθρώπων θείην διέποντες ἀταρπόν.

vs. 3. αἰθερίοισι τρίβοισι μέγαν πόλον ἀμφὶς ἑλίσσων,

8, 9: . . . κόσμου τὸν ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων; 19, 1: Ζεῦ πάτερ, ὑψίβρομον πυραυγέα κόσμον ἐλαύνων; 34, 16/7: . . . σὺ δὲ πάντα πόλον . . . ἁρμόζεις; h. Hom. Ἀρ. 6/7: πυραυγέα κύκλον ἑλίσσων | αἰθέρος . . .

vs. 4. γεννῶν αὐτὸς ἅπαντα, ἅπερ πάλιν ἐξαναλύεις.

11, 10: παντοφυές, γενέτορ πάντων . . .; 15, 7: παντογένεθλ᾽, ἀρχὴ πάντων πάντων τε τελευτή; 55, 5: . . . γεννᾷς δὲ τὰ παντα.

vs. 5—6. ἐξ οὗ γὰρ στοιχεῖα τεταγμένα σοῖσι νόμοισι, | κόσμον ἅπαντα τρέφουσι τετράτροπον εἰς ἐνιαυτόν.

5, 4: ὑψιφανὴς Αἰθέρ, κόσμου στοιχεῖον ἄριστον; 66, 4: ἐργαστήρ, κόσμοιο μέρος, στοιχεῖον ἀμεμφές.

vs. 7. κλῦθι, μάκαρ, κλήζω σε, τὸν οὐρανοῦ ἡγεμονῆα.

66, 10: κλῦθι, μάκαρ, κλήζω σε . . .

vs. 10. καὶ δὴ νῦν λίτομαι, μάκαρ ἄφθιτε, δέσποτα κόσμου.

5, 6: κικλήσκων λίτομαί σε . . .; 21, 6: ὑμᾶς νῦν λίτομαι . . .; 15, 1: . . . Ζεῦ ἄφθιτε . . .; 8, 16: . . . δέσποτα κόσμου.

2. vs. 24—27.

vs. 24. ἵλαθί μοι, προπάτωρ, κόσμου θάλος αὐτολόχευτε,

16, 10: ἔλθοις εὐμενέουσα . . .; 42, 11: εὐμενέουσ᾽ ἔλθοις . . .: 10, 10: αὐτοπάτωρ, ἀπάτωρ . . .;

	50, 3: *κρυψίγονον μακάρων ἱερὸν θάλος* . . .; 56, 8: *Κύπριδος γλυκερὸν θάλος* . . .; 8, 3: *αὐτοφυής, ἀκάμας* . . .
vs. 25. *πυρφόρε, χρυσοφαή, φαεσίμβροτε, δέσποτα κόσμου,*	47, 4: *πυρφόρος αὐγή* . . .; 66, 3: *φωσφόρε* . . .; 8, 2: *Τιτὰν χρυσαυγής* . . .; 66, 2: *φαεσίμβροτε δαῖμον*; cf. supra ad versum 10.
vs. 26. *δαῖμον ἀκοιμήτου πυρός, ἄφθιτε, χρυσεόκυκλε.*	34, 5: *ἄγριε, φωσφόρε δαῖμον* . . .; cf. ad versum 10.
vs. 27.	cf. quae p. 51 de fine hymni dixi.

Pars quae media est inter versus Orphicos (vs. 11—23) continet *ἐξαίτησιν* magicam; in hac parte preces, quae saepe solutis numeris in papyris magicis inveniuntur, in metricam formam ductas videmus:

hymnus mag.	papyri mag.
vs. 12—13: *πέμψον δαίμονα τοῦτον ὅπως μεσάταισιν ἐν ὥραις | νυκτὸς ἐλευσόμενον προστάγμασι σοῖς ὑπ' ἀνάγκης,*	pap. Berol. II 54: *θεὲ θεῶν, βασιλεῦ βασιλέων, καὶ νῦν μοι ἐλθεῖν ἀνάγκασον φίλον δαίμονα χρησμῳδόν*; vs. 1328 sq: *ἀνάπεμψόν μοι . . . τὸν δαίμονα ταύτης τῆς νυκτὸς χρηματίσαι μοι περὶ τοῦ δεῖνα πράγματος*; de voce *ἀνάγκη* cf. supra p. 35.
vs. 14. *οὗπερ ἀπὸ σκήνους κατέχω τάδε λείψανα χερσίν,*	vs. 1950 sq.: *δός μοι τοῦ δεῖνα κατεξουσίαν τούτου τοῦ βιοθανάτου πνεύματος, οὗπερ ἀπὸ σκήνους κατέχω* . . .; de verbo *κατέχω* cf. adn. p. 37.
vs. 17. *μηδὲ σὺ μη-*	vs. 294 sq.: *τελέσατέ μοι τὴν τε-*

νίσῃς ἐπ' ἐμαῖς ἱεραῖς ἐπαοιδαῖς,

vs. 19—20: *καί μοι μηνυσάτω . . . δύεταί μοι | νῦν ἐς ὑπηρεσίαν καὶ τὸν χρόνον, ὃν παρεδρεύει.*

vs. 23. *κλήζω δ' οὔνομα σὸν Ὡρῶν Μοιρῶν τ' ἐς ἀριθμόν.*

λείαν ἐπαοιδήν; de voce *ἐπῳδή* cf. A. Abt l. c., p. 115 sq.

pap. Mim. 259 sq.: *ἐπάκουσόν μοι, κύριε . . . ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ [ἐν τ]ούτῳ τῷ τόπῳ, τῇ ἄρτι ὥρᾳ, ὅτι ἐπικαλ[οῦμαι τὸ] ἅγι[ον] ὄνομα.*

vs. 271 sq.: *ἐπάκουσόν μου τοῦ δεῖνα καὶ ποίησόν μοι τὸ δεῖνα πρᾶγμα. λέγω γάρ σου τὰ ἀληθινὰ ὀνόματα.*

Hymnus igitur compositus est hoc modo:

1. vs. 1—10:[1]) orphici.
2. vs. 11—23: carmen magicum.
3. vs. 24—27: orphici.

II

Εἰς Ἀφροδίτην

Hic hymnus Veneris legitur pap. vs. 2903 sq.; versus Wessely primus constituit in 'Denkschriften' vol. XXXVI p. 28. Adnotationes addidit van Herwerden Mnemos. XVI (1888), p. 326 sq. Denuo carmen edidit L. Fahz. l. c., p. 142 sq.; neque vero is Herwerdeni dissertatiunculam respexit.

Εἰ δὲ καθὼς θεὸς οὖσα μακρόψυχόν τι ποιήσῃς,
οὐκ ὄψῃ τὸν Ἄδωνιν ἀνερχόμενον Ἀίδαο·
εὐθὺς ἀρᾷ τοῦτον δήσω δεσμοῖς ἀδάμασιν,

1 *καθως* P(apyrus) W(essely) F(ahz), *καὶ ὥς* H(erwerden) | *μακροψυχον* P W F, *μικρόψυχον (?)* H | *ποιησης* P F, *ποήσῃς* W H || 2 *οψη* P H, *ὄψει* W F | *τον* P W F, *σὸν?* H || 3 *ευθυ* P, del. W H, *εὐθὺς* F | *ἀρᾷ* scripsi, *δραμενη* P, del. F, *ἐνδραμένῃ* W, *ἐμβραμένης* H | *δη τουτον εγω* P, *δη* et *εγω* del. W H, *δη* del. F | *αδαμασιν* P, *ἀδάμασσιν* W H F.

1) Utrum vs. 10 orphicus an magicus sit, difficile est dictu.

φρουρήσας σφίγξω Ἰξιόνιον τρόχον ἄλλον
κοὐκέτι πρὸς φάος ἥξει κολαζόμενός τε δαμεῖται.
δι' ὃ ποίησον ἄνασσ', ἱκετῶ, τὴν δεῖνα μολοῦσαν
ἐλθεῖν ἐν προθύροισιν ἐμοῦ φιλότητι καὶ εὐνῇ
οἴστρῳ ἐλαυνομένην κέντροις βιαίοις ὑπ' ἀνάγκῃ
σήμερον ἄρτι ταχύ· ὁρκίζω γάρ σε, Κυθήρη.
Ἀφρογενὲς Κυθέρεια, θεῶν γενέτειρα καὶ ἀνδρῶν,
αἰθερία, χθονία, Φύσι παμμήτωρ ἀδάμαστε,
ἀλληλοῦχε, πυρὸς μεγάλου περιδεινήτειρα,
ἣ τὸν ἀεικίνητον ἔχεις περιδεινέα Βαρζαν
ἄρρηκτον· σὺ δὲ πάντα τελεῖς κεφαλήν τε πόδας τε,
σαῖς τε θελημοσύναις περιμίγνυται ἱερὸν ὕδωρ,
ἡνίκα κινήσῃς τὸν ἐν ἄστροις χείρεσι Ῥουζω,
ὀμφαλὸν ὃν κατέχεις κόσμου κινεῖς τε τὸν ἁγνόν,
φλεγμαίνεις ἀνδρῶν ψυχάς, ἐπὶ δ' ἄνδρα γυναῖκας
κἀνδρὶ γυναῖκα τίθῃς συ ἐράσμιαν ἤματα πάντα.
ἡμετέρα βασίλεια θεὰ μόλε ταῖσδ' ἐπαοιδαῖς

4 φρουρηρας P, φρουρήσας W corr. | ιξιονιον τροχον αλλον P F, τ' Ἰξιόνιον τρόχον ἄλλον W, τ' Ἰξιονίῳ τροχῷ ἄλλῳ H || 5 ηξει P, εἶσι W H F || 6 διο ποιησον ανασσα ικετω αξον την Δ ην Δ ταχιστα μολουσαν P, ἄξον ἄνασσ' ἱκετῶ τὴν δεῖνα τάχιστα μολοῦσαν W H F || 7 ελθειν P W F, ἵστασθ' H | εμου P F, ἐμοῖς W H | του η Δ ου η Δ P, del. W H F || 8 κεντροισι βιαιοις υπ αναγκη P, μὲν ἐμοῦ κρατερῆς δ' ὑπ' ἀνάγκης W, ἐμέθεν κεντροῖσι βιαίοις H, καὶ ἐμοῦ κεντροῖσι βιαίοις F || 9 ταχυ ορκιζω P, τάχιστα κικλήσκω W H, τάχιστ' ὁρκίζω F | post Κυθήρη in P: νουμιλλον βιομβιλλον ακτιωφι ερεσχιγαλ νεβουτοσουαληθ φρουρηζια θερμιδοχη βαρεωνη. επαναγκος || 11 αιθερια χθονια P W F, αἰθερίη χθονίη H || 12 αλληλουχα P, ἀλληλοῦχε (?) W, λαμπτηροῦχε (vel. ἀρρητουργέ) H, ἀλλήκτου τε F | περιδεινητειρα P, περιδινήτειρα W H F || 13 περιδεινεα P, περιδινέα W F || 15 περιμιγνυται P W F, πυρὶ μίγνυται H || 16 κινησεις P W F, κινήσῃς H || 17 ομφαλος P, ὄμφαλον W, ὀμφαλὸν H F | δε P, τε W H F | το αγνον P, τὸν ἁγνόν W H F || 18 . ε . . νεις P, ἐντείνεις W F, ἐκμαίνεις H | επι δ P, ἐπί τ' W H F || 19 τιθησι P, τίθῃς συ W H F | ερασμιαν P F, ἐράσμιον W H || 20 ημετερε P, ἡμετέρη W F.

πότνια Κυπρογένει' αὐτῇ καπυρὸν βάλ' ἔρωτα,
ὥστ' ἐπ' ἐμοῦ φιλότητι τακῆναι ἤματα πάντα.
νεῦσον ἐμοί συ μάκαιρα τάδ' ὡς Ῥουζω σὸν ἐν ἄστροις
ἐς χορὸν οὐκ ἐθέλοντ' ἧξές ἐπὶ λεκτρὰ μιγῆναι,
ἀχθεὶς δ' ἐξαπίνης καὶ τὸν μέγαν ἔστρεφε Βαρζαν
στρεφθείς τ' οὐκ ἀναπαύσετ' ἐλισσόμενός τε δονεῖται,
ἀλλά σὺ Κυπρογένεια τέλει τελέαν ἐπαοιδήν.

21 *πότνια αρρωριφρασι γωθητινι κυπρογενεια σουϊης θνοβοχαυ. θοριθειθεν επιω ανασσα σερθεν εβηηι* P, *πότνια Κυπρογένεια Ἀρορίφρασι Γωθητῖνι* W, *πότνια . . . . Κυπρογένεια* F | *και τη Δ ην Δ βαλε πυρων ερωτα* P, *καὶ τῇ δεῖνι ἄνασσ' ἱκετῶ πῦρ ἔμβαλ' ἔρωτος* W H F || 22 *εμου του Δ ου η Δ* P, *ἐμοῦ* W F, *ἐμοῖ* H | *ταγηναι* P, *μιγημεναι* W, *μανήμεναι* H, *τακήμεναι* F || 23—24 *συ δε μακαρ Ζουρω ταδε νευσον εμοι τω Δ ως σον εν αστροις ες χορον ουκ εθελοντα ηξες επι λεκτρα μιγηναι* P, *καὶ νεῦσον σὺ μάκαιρα σὺ καὶ Ρουζω τὸν ἐν ἄστροις* | *ἐς χόρον οὐκ ἐθέλοντ' ἄξασ' ἐπὶ λέκτρα μιγῆναι* W H (*ἐς κόρον* prop. H), *σὺ δέ, μάκαρ Ζουρώ, τάδε νεῦσόν μοι καλέοντι·* | *ὡς σὸν ἐν ἄστροις στῆναι τὸν ἐς χορὸν οὐκ ἐθέλοντα* | *ἧξες πρός τε χοροὺς ἧξές τ' ἐπὶ λέκτρα μιγῆναι* Wuensch apud F || 26 *ανεπαυσετ'* P, *ἀνεπαύσεθ'* W, *ἀνέπαυσέ θ'* F || post versum 26 in P: *διο αξον μοι την Δ ην Δ φιλοτητι και ευνη*, del. H, *ἆξόν μοι τὴν δεῖν' ἱκετῶ φιλότητι καὶ εὐνῇ* W F || 27 *συδε* P, *ἀλλὰ σὺ* W H F | *κυπρογενεια θεα* P, *Κυπρογένεια* W H F.

vs. 1. Herwerden caput hymni truncatum esse merito ac iure censet. Nam vs. 1—5 *ἀπειλήν* in deam directam continent; quam tum demum, postquam dea, quae faciat, cognovit, proferri posse luce clarius est. Itaque initio carminis nonnullos versus deesse[1]) putandum est; cf. infra p. 79.

1) Utrum idem *δέ* particula adversativa ostendatur, dubium est. Nam *δέ* hoc loco debilitata forma pro *δή* posita esse potest, quae invenitur in pronominibus *ὅδε ἥδε* al. (cf. Kühner-Gerth l. c. II 2, 124), ut *εἰ δέ* idem sit atque *εἰ δή*, quod, ut exemplo utar, legitur Il. Α 61: *εἰ δὴ ὁμοῦ πόλεμός τε δαμᾷ καὶ λοιμὸς Ἀχαιούς.* Atque poni posse *δέ* pro *δή* ve-

καθῶς] quid hic versus sibi velit, recte sensit Herwerden illum sic explicans: 'Sin vero nihilo minus tu quae Dea es pusillanimi (vile) quid feceris, non videbis tuum Adonin ab inferis redeuntem,' tamen versum non recte restituit; coniecit enim pro *καθώς* '*καὶ ὡς*', qua mutatione non opus est. Nam *καθώς*, quae coniunctio comparativa a scriptoribus classicis non adhibetur (cf. Meisterhans-Schwyzer l. c. p. 258), saepissime autem in libris sacris, identidem in papyris magicis invenitur, hic idem atque *ὡς* valet. Id ostenditur his locis: Mt. 21, 6: *ποιήσαντες καθὼς συνέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς* ~ Mt. 26, 19: *ἐποίησαν οἱ μαθηταί, ὡς συνέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς*; Act. ap. 15, 15: *καθὼς γέγραπται* ~ Act. ap. 13, 33: *ὡς καὶ ἐν ψαλμῷ γέγραπται.* Quamquam *καθώς* cum participio conexum non reperitur, tamen *ὡς* cum participio coniungitur, cum res contrariae comparantur ut Thuc. I 10, 5: *οὐ πολλοὶ φαίνονται ἐλθόντες ὡς ἀπὸ πάσης τῆς Ἑλλάδος κοινῇ πεμπόμενοι* vel Xen. An. VI 5, 28: *ἀπεκτίννυσαν ὅσουςπερ ἐδύναντο ὡς ὀλίγοι ὄντες* (cf. F. M. Stahl, 'Syntax des griech. Verbums' 1907, p. 721 et 723 b).

μακρόψυχόν] sic pap. Wessely dubitat, num *μακρόψυχον* integrum sit, Herwerden *μικρόψυχον* scribit. *μακρόψυχος* rarissime a scriptoribus adhibetur; quantum video, vocabulum solum in Cic. ep. ad Att. IX 11, 4 invenitur, ubi verba sunt haec: 'quam vero *μακροψυχίαν* Gnaei nostri esse?' Sed hoc quoque loco editores dissentiunt: alteri lectionem codicibus tra-

---

teres grammatici censuerunt; ad Il. enim A 204 *ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, τὸ δὲ καὶ τελέεσθαι οἴω* schol. adnotat: *ἤτοι στικτέον ἐπὶ τό 'ἐρέω', ἢ βραχὺ διασταλτέον. ἐὰν μὲν οὖν στίζωμεν, ἔσται τὸ λεγόμενον τοῦτο καὶ τετελέσθαι ὑπολαμβάνω. ἐὰν δὲ διαστέλλωμεν, ἔσται ὁ δὲ κειμένος ἀντὶ τοῦ δή, καὶ τὸ 'τό' ἀντὶ ὑποτακτικοῦ τοῦ ὅ.*

ditam retinent (sic Orelli-Baiter) et eo defendunt, quod *μακροψυχίαν* malam in partem interpretandum esse dicunt, ut vocabulum valeat 'vastitatem animi' i. e. 'insatiabilem cupiditatem', quocum bene congruere videntur verba sequentia 'Pompeium Aegyptum et Arabiam *εὐδαίμονα* et *Μεσοποταμίαν* cogitare'; alteri (sic Müller, Boot, Tyrrell-Purser) *μακρόψυχον* corruptum esse rati scribunt *μικροψυχίαν*; quin etiam negatum est vocem *μακροψυχίαν* in lingua Graeca exstare (cf. Tyrrell-Purser ad h. l.). Sed et hi et illi errant: illi enim verbum *μακροψυχίαν* et totum locum Ciceronis non accurate interpretati sunt; horum sententia iam loco hymni et libris manuscriptis, qui illum locum Ciceronis exhibent, repellitur. Cum vocabulum ipsum inspicias, putes vocem *μακροψυχίαν* esse contrariam vocabulo *μικροψυχίαν* atque ut hoc 'pusillanimitatem' sic illud 'magnitudinem animi' significare. Neque vero res ita se habet; immo 'magnitudinem animi' Graeci non *μακροψυχίαν*, sed *μεγαλοψυχίαν* dicebant nec fieri potest, ut illis locis *μακροψυχίαν* sive *μακρόψυχον* hanc significationem habeat. Immo luce clarius est duobus locis voce *μακροψυχίαν* sive *μακρόψυχον* exprimi vitium; quocum omnes editores consentiunt. Quod autem est hoc vitium? Exeundum est a voce ipsa: *μακρόψυχος*, quod ex *μακρός* et *ψυχή* compositum est, significat hominem, cuius *ψυχὴ μακρά ἐστι*; *μακρός* autem, ut proprie accipi potest et pro 'excelsus' (cf. Il. *Α* 402: *ἐς μακρὸν Ὄλυμπον*) et pro 'profundus' (cf. Il. *Φ* 197: *φρείατα μακρά*) ita translate coniunctum cum voce *ψυχή* significare potest aut eum, qui 'magni animi' est, aut eum, qui 'profundi 'h. e.' eius, qui non perspicitur, animi' est. Cum vero *μακρόψυχος* illa significatione non adhibeatur, quia id ipsum *τῇ μεγαλοψυχίᾳ* exprimitur, fieri non potest, quin *μακρόψυχος* hoc significet. — Obser-

vanda est prosodia vocis *μακρόψυχον*, in qua *α* ante mutam et liquidam non producitur ut supra in hymno Solis vs. 25 et 26 vocalis ante *χρ* (cf. etiam Kühner-Blass I 1, p. 303 sq.).

ποιήσῃ] sic pap., Wessely, quem Herwerden secutus est, scribit *ποήσῃ*. Magum *ποήσῃς* pronuntiasse certum est; id sequitur et ex metro et ex eo, quod saepe in inscriptionibus et codicibus *ποεῖν* scriptum videmus ut DTA 97, 21. 24: *ποῆσαι*; 98, 5: *πόει*; cf. Meisterhans-Schwyzer l. c. p. 57, 2–3 et Mayser l. l. p. 108 sq. Praeterea in aliis quoque voculis diphthongus *οι* ante sequentem vocalem non raro corripitur; cf. W. Christ, 'Metrik der Griechen u. Römer'[2], Leipz. 1879, p. 26 sq. et Kühner-Blass l. c. I 1, p. 313; exempli gratia affero Il. *N* 275: *οἶδ', ἀρετὴν οἷός (◡◡) ἐσσι*. Tamen verisimillimum est magum scripsisse *ποιήσῃς*, neque magis hic mutare audeo *ποιήσῃς* papyro traditum quam vocem *οἷος* illo loco Homeri laudato; confirmatur vero *ποιήσῃς* versu 6, quo idem *ποίησον* legimus, etsi syllaba prima brevis est, et hymni magici Lunae vs. 11; cf. infra p. 92.

vs. 2. *ὄψῃ]* pap.; *ὄψει* scribit Wessely, sed iure Herwerden *ὄψῃ* retinuit. Monendum est hic agi de rebus orthographicis; pronuntiabatur *η* et *ει* aeque (cf. Mayser l. c. p. 126 sq.), qua de causa in codicibus et inscriptionibus *ει* et *η* saepe confunduntur. Itaque in hac re codicis scripturam sequi oportet, et cum hoc loco *ὄψῃ* tradatur papyrusque semel (542) *ὄψει*, undevicies *ὄψῃ* praebeat, quae forma etiam in libris sacris usitatior est (cf. Winer-Schmiedel, Grammatik d. neutestamentl. Sprachidioms[8] 1894 sq. §13, 18), *ὄψῃ* praefero.

ἀνερχόμενον] quod ad metrum huius versus spectat, observandum est ultimam syllabam verbi *ἀνερχόμενον* in arsi quinti pedis produci, id quod rarissime

reperitur; tamen exstant nonnulla exempla ut Il. Σ 288: *πρὶν μὲν γὰρ Πριάμοιο πόλιν μέροπες ἄνθρωποι.*

vs. 3 in papyro sic traditur: *ευθυ δραμενη δη τουτον εγω δησω δεσμοις αδαμασιν.* Primum statuendum est hic agi de defixione, qua Adonis impediatur, ne ad lucem Veneremque veniat; in qua precatio dira sive *ἀρά* est gravissima; cf. Plin. n. h. XXVIII 19: 'defigi quidem diris precationibus nemo non metuit'. vox *ἀρά* vero videtur latere in *δρα*, cum in scriptura *A* et *Δ* facillime commutari possint, ita ut verba discernenda sint hoc modo: *ΕΥΘΥ ΑΡΑ ΜΕΝ ΗΔΗ.* In genuinum versum postea verba irrepsisse apparet; haud dubie et *ἤδη* ob praecedens vocabulum *εὐθύ* et *μέν* supervacanea sunt; facile deesse potest etiam *ἐγώ*, ut versus sit hic: *εὐθὺς ἀρᾷ τοῦτον δήσω δεσμοῖς ἀδάμασιν.*

εὐθύς] et *εὐθύ* promiscue in usu sunt; cf. hymn. Hom. Merc. 342: *εὐθὺ Πύλονδ' ἐλάων* et 355 *ἐς Πύλον εὐθὺς ἐλῶντα.* Hymni loco hiatus evitandi causa scribendum est *εὐθύς*. Quod Wessely et Herwerden *εὐθύ* sustulerunt, comprobare non possum, cum *εὐθύ* ad minas magi confirmandas necessarium sit; similiter in epigr. Anth. Pal. XI 138 legitur: *Ἂν τοῦ γραμματικοῦ μνησθῶ μόνον Ἡλιοδώρου | εὐθὺ σολοικίζον τὸ στόμα μου δέδεται.*

ἀρᾷ] hoc vocabulum, quod ad rem palaeographicam attinet, non longius quam coniecturas Wesselii *ἐνδραμένη* et Herwerdeni *ἐμβραμένης* a verbis traditis abesse libenter concedes. Omnino repudianda est Wesselyana coniectura quae intellegi non potest, nam ut participium aliquod ad deam spectans principio in versu fuerit, illo desiderium Veneris significari exspectatur. Neque probabilius est *ἐμβραμένης* i. e. *εἱμαρμένης*, quod Herwerden suspicatus est, cum id

longius petitum sit. Praeterea exemplum (vs. 2312: *δέσμα ἀνάγκης*), quo is vir doctus coniecturam confirmat, ad hymni locum explicandum nil valet. Nam aut *δεσμοὶ ἀδάμαντες* sunt fila vera, quibus simulacrum Adonidos vincitur, aut *δεσμοῖς ἀδάμασιν* est figurate dictum pro 'artissime'; utique ad verba *δεσμοῖς ἀδάμασιν* quicquam additum fuisse non verisimile est. Sane exemplum non inveni, quo elocutio *ἀρᾷ δεῖν* confirmatur: sed illud facile explicari potest. Nam quia verbum *δῶ* vel *καταδῶ* imprimis in tabellis defixionum hoc sensu reperitur, quae ipsae *ἀραί* sunt, *ἀρᾷ* adiungere non necesse est. De prosodia vocis *ἀρά* monendum est *α* prius esse breve, cf. Soph. Tr. 1239 (Dindorf-Mekler): *θεῶν ἀρά* (in exitu iambici trimetri); sed a poetis epicis syllaba prior interdum producitur, cf. Il. *O* 598: *ἐξαίσιον ἀρήν* (in exitu versus); v. Gu. Schulze, 'Quaestiones epicae' 1892, p. 89 sq. Quod cum verbo *δήσω* duo dativi eiusdem generis coniuncti sunt, nihil offendit; simillime dicit Hes. *ἔργα κ. ἡ.* 321: *εἰ γάρ τις χερσὶ βίῃ μέγαν ὄλβον ἕληται*; cf. Kühner-Gerth II 1, p. 441, 11. Nescio autem, an *ἀρᾷ* una cum verbis *μὲν ἤδη*, cum id ad sensum intellegendum non necessarium sit, tollendum atque *ἐγὼ* sit retinendum, ut fiat versus hic: *εὐθὺς τοῦτον ἐγὼ δήσω δεσμοῖς ἀδάμασιν*, quo modo eum iam L. Fahz restituit. *ἐγώ* autem simillime legitur in metrica defixione tabellae Atticae (DTA 108a): *Δήσω ἐγὼ Σωσικλείαν κα[ὶ κ]τήματα καὶ μέγα κῦδος καὶ πρᾶξιν καὶ νοῦν· ἐχθρὰ δὲ φίλοισι γένοιτο. | Δήσω ἐγὼ κείνην ὑπὸ Τάρταρον ἀερόεντ[α | δεσμοῖς ἀργαλείοις σὺν θ' Ἑκάτηι χθονίαι.*

ἀδάμασιν] pap., *ἀδάμασσιν* scribunt editores. Neque vero id necessarium est; nam syllaba *-ασ-* per se longa est, cum ex *-αντσ-* productione suppletoria orta sit. Aeque legitur apud Homerum *γίγασιν*, non

γίγασσιν in Od. *κ* 120: *μύριοι, οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες, ἀλλὰ γίγασιν.*

vs. 4. *φρουρήσας]* pap. *φρουρηρας. φρουρέω* hic non 'custodire' sed 'retinere' significat ut Plut. Mor. p. 205 F: *Γάιος Καῖσαρ . . . περιέπεσε πειραταῖς . . . ἔπειτα φρουρούμενος, ἕως συνῆγε τὰ χρήματα.*

Ἰξιόνιον τρόχον ἄλλον] ita pap.; Herwerden proposuit *Ἰξιονίῳ τροχῷ ἄλλῳ* aut *Ἰξίονος εἰς τροχὸν ἄλλον* aut *Ἰξίονα εἰς τροχὸν ἄλλον.* Neque vero voces traditas mutare necesse est. Quamquam enim verba *σφίγγω* et *δέω* coniungi solent cum dativo vel cum praepositionibus *πρός, εἰς* c. acc., tamen accusativus ea ratione defendi potest, ut is liberius adhibeatur pro *εἰς* praepositione cum accusativo coniuncta, id quod saepe a poetis fit verbis, quae motum significant; exempli gratia affero Eur. Troad. 883: *πέμψομέν νιν Ἑλλάδα.* Eur. Andr. 166 sq.: *καὶ μὴν ὅδ' ἄναξ ἤδη φοράδην Δελφίδος ἐκ γῆς δῶμα πελάζει;* cf. Kühner-Gerth II 1, p. 311 sq. Hunc versum cum antecedenti conectere particula, id quod Wessely et Herwerden proponunt, non necesse est, cum hiatus, qui est inter *σφίγξω* et *Ἰξιόνιον*, a caesura et nomine proprio excusationem habeat. Praeterea observandum est asyndeton hic maiorem vim habere quam enuntiata copula coniuncta; cf. Il. *Χ* 294: *Δηίφοβον δ' ἐκάλει . . . ᾔτεέ μιν δόρυ μακρόν;* vid. de hac re Kühner-Gerth II 2, p. 340 sq. — Quomodo *Ἰξιόνιον* metiendum sit, docet Il. *Ξ* 317: *οὐδ' ὁπότ' ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο.*

ἥξει] id in papyro, editores metri causa scribunt *εἶσι*; neque autem id est necessarium, immo *ει* hic est pro syllaba brevi. Ut poetae vocales et diphthongos hoc modo insolito metiantur, aetate imperatorum Romanorum saepius fit; videas Meisterhans-Schwyzer l. c., p. 68, qui cum alia exempla ex inscriptionibus

aetatis Romanae tum hunc pentametrum affert: *ἦν γάρ ἔτη κάμοὶ ἑπτά τε καὶ εἴκοσι*, ad quem Kaibel ep. gr., p. 61 adnotat: 'εἴκοσι tribrachys est ἴκοσι pronuntianti'. Itaque non corrigendum sed statuendum est hoc carmen anno 100 fere p. Chr. n. ortum esse.

εἰς φάος ἐλθεῖν, *ἥκειν* vel sim. de mortuis ad superos venientibus dici solet; cf. hymn. mag. Sol. vs. 18.

vs. 6. In papyro traduntur haec: *διο ποιησον ανασσα ικετω αξον την Δ ην Δ ταχιστα μολουσαν*, quae versum non efficiunt. Statuendum est verba *ἄξον τὴν δεῖνα ἣν δεῖνα* esse formulam, quae saepe in papyris magicis reperitur ut 1591: *ἄξον τὴν δεῖνα τῆς δεῖνα πρὸς ἐμὲ τὸν δεῖνα τῆς δεῖνα*, 1915: *ἄξόν μοι τὴν δεῖνα τῆς δεῖνα, ἐμοὶ τῷ δεῖνα τῆς δεῖνα*, 2235: *ἄξον τὴν δεῖνα τῷ δεῖνα*; cf. etiam 1579, 1918, 1923. *ἣν δεῖνα*, quod in formula hymno inserta legitur, aut eo modo explicatur, ut *ἣν δεῖνα* correptum ex *ἣν ἡ δεῖνα ἔτεκεν* (sic Herwerden) aut *ἣν δεῖνα* ex *τῆς δεῖνα* corruptum sit. Etiam *τάχιστα* ad formulam mago usitatam referendum esse ob adverbium vs. 9 *ταχύ* verisimile est. Qua re perspecta versus duplici modo restitui potest; aut illius formulae verba *τὴν δεῖνα* retinentur aut formula tota tollitur, ut relinquantur haec: *δι' ὃ ποίησον ἄνασσ' ἱκετῶ* et in fine versus *μολοῦσαν*. Nec mirum quod prior syllaba praepositionis *διά* in arsi producitur, cum conferas Il. *Γ* 357: *διὰ μὲν ἀσπίδος ἦλθε* (v. etiam *H* 251; *Λ* 435; *Δ* 135); verbi *ποίησον* syllaba prima similiter atque in versu 1 pro brevi habetur. Desunt autem quarti pedis pars posterior, quinti prior pars. Cum deliberes in hac lacuna obiectum verbi *ἱκετῶ* et subiectum verbi *ἐλθεῖν* sequentis versus fuisse, simplicissime vocibus *σὲ γυναῖκα* versum suppleas, ut fiat hic versus: *δι' ὃ ποίησον ἄνασσ', ἱκετῶ σε, γυναῖκα μο-*

λοῦσαν. Sed *γυναῖκα* hic parum gravitatis habet; immo exspectatur nomen puellae, quod quantum valeat in re magica satis constat, dici; itaque malim pro *σε γυναῖκα* scribere *τὴν δεῖνα*. Quod ad hanc formulam in carminibus magicis usitatam spectat, internoscendi sunt antiquiores versus, quibus *ὁ δεῖνα* sim. postea additum est, et recentiores, in quibus ea formula, pro qua, cum carmen adhibebatur, nomen verum substituebatur, genuina est.

vs. 7 in papyro legitur sic: *ελθειν εν προθυροισιν εμου τοῦ Δ̣ ου η Δ̣ φιλοτητι και ευνη*. Hic tollenda est formula *τὸν δεῖνα ὃν* (sic pro *ου*) *ἡ δεῖνα* (sc. *ἔτεκεν*), ut restent haec: *ἐλθεῖν ἐν προθύροισιν ἐμοῦ φιλότητι καὶ εὐνῇ*. Wessely et Herwerden *ἐμοῦ* in *ἐμοῖς* mutaverunt non intellegentes, cur pronomen tantopere prematur. Etsi concedendum est *ἐμοῖς* usitatius esse quam *ἐμοῦ* (cf. vs. 2743: *ἐπ' ἐμοῖς προθύροισιν παρέστω*), tamen iam ex illis verbis a mago additis *του Δ̣ ου η Δ̣* apparet, quantum intersit puellam incantantis ipsius domum, non alius venire; imprimis vero id elucet ex locis papyri quibus continetur *φιλτροκατάδεσμος* vs. 351 sq.: *(ἡ δεῖνα) μὴ βινηθήτω, μὴ πυγισθήτω, μηδὲ πρὸς ἡδονὴν ποιήσῃ μετ' ἄλλου ἀνδρὸς εἰ μὴ μετ' ἐμοῦ μόνου τοῦ δεῖνα*; vs. 374 sq.: *μὴ ἐάσῃς τὴν δεῖνα ἄλλου ἀνδρὸς πεῖραν λαβεῖν πρὸς ἡδονὴν μηδὲ ἰδίου ἀνδρὸς εἰ μὴ ἐμοῦ μόνου τοῦ δεῖνα*. — Porro pro *ἐλθεῖν* Herwerden ob *μολοῦσαν* praecedens verbum scribit *ἵστασθ'*, id quod comprobari non potest, cum *μολοῦσαν* et *ἐλθεῖν* verba hic diversa significatione adhibita sint: illo enim *μολών* celer motus, hoc 'intrare domum' significatur, ut 'ire' *(μολοῦσαν)* opponatur verbo 'pervenire' *(ἐλθεῖν)*: cf. etiam Soph. Oed. Col. 1164 sq.: *σοὶ φασὶν αὐτὸν ἐς λόγους ἐλθεῖν μολόντ' | αἰτεῖν ἀπελθεῖν κτλ.* Verbum *ἐλθεῖν* cum *ἐν* praepositione coniunctum esse mirum videtur;

exspectatur enim *ἐλθεῖν εἰς*. Sed in posteriore graecitate verbis veniendi et perveniendi etiam praepositio *ἐν* additur; ut exemplo utar, cf. Paus. VII 4, 3: *διαβάντες ἐν τῇ Σάμῳ*; vid. Kühner-Gerth l. l. II 1, p. 540 sq. — Praeterea monendum est versum 7 sapere Homerum; homerica enim est formula *φιλότητι καὶ εὐνῇ*; cf. Il. *Γ* 445; *Ζ* 25; ad id verba *ἐν προθύροισιν* inveniuntur eodem loco versus Od. *κ* 220: *ἔσταν ἐν προθύροισιν θεᾶς καλλιπλοκάμοιο* (cf. etiam *δ* 20).

vs. 8. Wessely in hunc versum aut *κεντροῖσι βιαιοις* aut *υπ αναγκη* glossema irrepsisse censet. Sed is vir doctus videtur errare. Nam *κεντροῖσι βιαίοις* aut *ὑπ' ἀνάγκῃ* deletis in versu lacuna fit, quam coniecturis explere superfluum est. Immo verba tradita retinenda sunt; nam et *κεντροῖσι βιαίοις* et *ὑπ' ἀνάγκῃ* aeque ad *οἴστρῳ* vocem praecedentem quadrant (cf. Plat. Phaedr. 240 D: *ὑπ' ἀνάγκης τε καὶ οἴστρου ἐλαύνεται*) et quod ad rem metricam spectat, versus littera ultima vocis *κεντροισι* deleta facile sanatur. Observandum est autem syllabam mediam vocabuli *βιαίοις* correptam esse, id quod aliis quoque locis invenitur: cf. Kaibel ep. gr. 95, 4: *χάριν οὐ δικαίαν* (◡◡_) *κεκόμισμαι*.

vs. 9. *ταχύ· ὁρκίζω] ταχύ* offensionem praebere videtur et ob hiatum et quia posterior syllaba adverbii est brevis. Itaque Wessely pro verbis traditis coniecit *τάχιστα κικλήσκω*. Neque vero mutatione opus est. Nam hiatus eo excusatur, quod cum caesura coincidit et quod sententia voce *ταχύ* finitur verboque *ὁρκίζω* sententia incipit; cf. hymn. Sol. 4: *ἅπαντα, ἅπερ*. Magis dubitandum est, num posterior syllaba vocis *ταχύ* produci possit; sed cum ea in arsi dactyli sit et caesura pedis tertii sequatur, vocabula tradita retinenda sunt; cf. Il. *Β* 228; *Γ* 35.

vs. 11. *παμμήτωρ]* Herwerden pro *παμμήτωρ* ob verba praecedentia *θεῶν γενέτειρα καὶ ἀνδρῶν* scribere vult *πανδμήτωρ* vel *πανδαμάτωρ*; at id supervacaneum est, cum talis pleonasmus in hymnis magicis saepius reperiatur; cf. supra p. 31/2.

vs. 12. *ἀλληλοῦχε]* in papyro traditur *αλληλουχα* quod retineri nequit; nam adiectivum est *ἀλληλοῦχος -ον*, et vocativi forma *ἀλληλοῦχε*; mutatio est minima, quoniam A et E saepius in scriptura confunduntur. Herwerden quidem totum vocabulum corruptum ratus proposuit *λαμπτηροῦχε* sive *ἀρρητουργέ*; sed hae *ἐπικλήσεις* huic loco minus apte conveniunt; Venus enim in hac parte carminis inde a versu 11 dea non amoris, sed mundi invocatur, ut neque de facibus Amoris neque de 'mysteriis, quibus Venus praesidet', cogitari possit. Immo exspectatur adiectivum pertinens ad deam cosmicam; etsi *ἀλληλοῦχος* epitheton deo vel deae mundi, quantum video, non attribuitur, tamen id vocabulum sic adhiberi posse verisimile est. Nam *ἀλληλοῦχος*, quod valet 'mutuo conexu continens' significatu finitimum est elocutioni *κοινωνίαν συνέχουσα*, id quod demonstrat Andreas Caesariensis in Joh. Apoc. 67 Serm. 23 (Patrol. Graec. ed. J. P. Migne 106 col. 437) *τὴν αὐτῶν* (sc. Apostolorum) *κοινωνίαν καὶ ἀλληλουχίαν διεκόψαμεν*. — *κοινός* autem est epitheton *Φύσεως* hym. orph. 10, 9: *κοινὴ μὲν πάντεσσιν, ἀκοινώνητε δὲ μούνη*. At *ἀλληλουχία* vocem pertinere ad mundum ostendit Jamblichus in Explic. Symb. Pyth. c. 18, p. 346, qui *τῆς τοῦ κόσμου ἑνώσεως καὶ ἀλληλουχίας* mentionem facit; quae autem dea 'mutuo conexu contineat', ex verbis sequentibus *πυρὸς μεγάλου περιδεινήτειρα* elucet; *πῦρ* enim est primum inter elementa, quae mundum sustentant, et cum Venus hic dea cosmica celebretur ipsaque unum ex elementis putata sit (cf. Firm. Mat. IV 1: 'Assyrii

et pars Afrorum aerem ducatum habere elementorum volunt et hunc imaginata figuratione venerantur: nam hunc eundem nomine Iunonis et Veneris virginis consecrarunt'), apparet versum habere sensum hunc: 'quae magnum ignem moves et elementa mutuo conexu contines'. Itaque *ἀλληλοῦχε* retinendum neque coniectura Fahzii *ἀλλήκτου τε*, quamvis haec sit splendida, opus esse puto.

περιδεινήτειρα] sic pap.; Wessely et Fahz scribunt *περιδινήτειρα*, quod probari non potest; nam constat fuisse formas huius verbi et *δινέω* et *δεινέω*. Ut exemplum afferam, Hesychius formas *ει* habentes plures praebet ut *περιδεινεῖσθαι περιδεινηθήτην*, *περιδείνηται*, *δεινεύω* al. et in papyris leguntur *περιδείνητον* (vs. 680), *περιδεινέα* (vs. 8 huius hymni).

De metro observandum est hunc versum esse spondiacum.

vs. 13. *Βαρζαν]* vocem Persicam esse demonstrat Suidas s. v. *Μουσουργοί· ψάλτριαι. Αἱ δὲ μουσουργοὶ βάρβαροι ἦσαν γυναῖκες. ὄνομα αὐτοῖς ἐπιχώριον Βάρζα . . . καὶ λήγοντι μὲν τοῦ πότου τῷ βασιλεῖ καὶ ἡ ᾠδὴ ξυνεπαύετο· ὁπότε δὲ ἐγχέας κελεύσειεν, αὖθις ἤρχοντο ᾄδειν καὶ ψάλλειν.* Porro id elucet ex verbis *Βαρζαφέρνης* (satrapes Parthiae, Jos. Jud. bell. I 13, 1), *Βαρζαέντης* (Persa; Diod. 17, 74), *Βαρζαύρα* (oppidum Paropanisadarum; Ptol. VI 18, 4). Quod ad significationem vocis *Βαρζαν* attinet, Julius de Negelein me docuit *Βαρζαν* lingua Persica significare 'Magnus' (lingua Persica nostrorum temporum Buzurik), quocum bene convenit epitheton *μέγαν* vs. 20; cf. etiam 'Barza-ura', quod nomen Tomaschek ap. Pauly-Wiss. RE s. v. 'Barzaura' explicat: 'hochgelegene Feste' vel 'eine hohe Brust besitzend'. — *Βαρζαν* autem in hymno esse stellam iam indicat epitheton *περιδεινέα*, quoniam hym. orph. 7, 4 *ἀστέρες*

οὐράνιοι appellantur: *ἐγκυκλίοις δίνησι πυριρρόθιοι κυκλέοντες*; quae stella hic intelleganda sit, incertum; fortasse cogitandum est de ursa maiore, quocum *Ῥουζω* i. e. ursa minor (cf. infra ad vs. 16) bene congruit.

vs. 14. *ἄρρηκτον]* neutrum sing. hoc loco pro *ἀρρήκτως* adverbio positum est, id quod interdum apud scriptores posteriorum temporum reperitur; cf. Matthiae, Griech. Gramm.[2] p. 833. Verba *κεφαλήν τε πόδας τε* translate adhibita sunt pro 'plane', 'ab omni parte'; simillime dicit Aristoph. Plut. 649 sq.: *ἄκουε τοίνυν, ὡς ἐγὼ τὰ πράγματα | ἐκ τῶν ποδῶν ἐς τὴν κεφαλήν σοι πάντ' ἐρῶ*, h. e. 'ab initio usque ad finem', 'omnino'. De sensu versus cf. hym. orph. 10, 28: *πάντα σὺ ἔσσι· τὰ πάντα σὺ γὰρ μούνη τάδε τεύχεις*.

vs. 15. *περιμίγνυται]* pap., non *περιμυγνυται*, quod Wessely in editione legit. Herwerden *περιμίγνυται* commutat in *πυρὶ μίγνυται*, quod confirmat his verbis: '*περιμίγνυται* ne Graecum quidem verbum est et absurda compositione.' Nec vero haec ratio probabilis est; nam in his hymnis multa verba adhuc ignota inveniuntur, et quod ad compositionem attinet, *περιμίγνυμι* conferri potest cum *περι-αγγέλλω*, *περι-φανής* al., quibus in verbis compositis *περι-* valet 'ubique', ut *περιμίγνυμι* significet 'ubique misceo'; cui rei *ἱερὸν ὕδωρ* ubique misceatur, perspicuum est: ceteris elementis.

vs. 16. *κινήσῃς]* sic correxit Herwerden lectionem papyri *κινησεις*. Certissimum est hic coniunctivum aoristi ponendum esse, ad quem in prosa oratione particula *ἄν* addi solet; sed ea a poetis in talibus sententiis interdum omittitur (cf. Kühner-Gerth l. c. II 2 p. 449 adn. 4) et imprimis a scriptoribus posteriorum temporum ut a Theocrito XXIII 30: *λευκὸν*

τὸ κοίνον ἐστί, μαραίνεται, ἀνίκα πίπτῃ, XXIII 31: *ἀνίκα παχθῇ*. Itaque scribendum est *κινήσῃς*. Formae quidem coniunctivi aoristi in *-σεις*, *-σει* desinentes exstant (cf. Savelsberg 'Die Aoriste *ἔδωκα, ἔθηκα, ἧκα*' in Symbolis in honorem Ritschelii p. 508 et Stolz, 'Zum Conjunctiv des griechischen sigmatischen Aoristes', Indogerm. Forsch. II 154 sq.), sed hae solum in poesi antiquissima reperiuntur; quare in hoc hymno recentiore formam traditam *κινησεις* in *κινήσῃς* mutare nihil dubito, quoniam hac aetate *ει* et *η* saepissime per itacismum confunduntur; cf. Mayser l. c. p. 74 — 79.

Ῥουζω] sic hoc loco; vs. 2932 (hymn. vs. 23) legitur *Ζουρω*; sed hic consonantes *ζ* et *ρ* falso commutantur; nam *ζουρω* explicari non potest. Contra *Ῥουζω* (raoza) derivandum est a stirpe ruç, quae 'lucere, splendere' valet, ut *Ῥουζω* (accentus plane incertus est) idem sit atque *λευκός*[1]), quod aptissimum est nomen stellae. Monendum est voce *Ῥουζω* significari *ἄστρον ἀκίνητον*; id ex eo sequitur, quod *Ῥουζω* opponitur *ἄστρῳ ἀεικινήτῳ Βαρζαν*, et ex versus sequentis verbis *ὀμφαλὸν κόσμου*. Sidus autem, quod in caelo locum suum mutare non videtur, nullum nisi illud astrum ursae minoris esse potest, quod proximum est polo. Quocum egregie congruit Nicander Alex. 6 sq., qui *ἄρκτον* dicit *ὀμφαλόν*: *ἢ γὰρ δὴ σὺ μὲν ἄγχι πολυστροίβοιο θαλάσσης | ἄρκτον ὑπ' ὀμφαλόεσσαν ἐνάσσαο* . . ., ad quem locum schol. adnotat: *ἄρκτον ὑπ' ὀμφαλόεσσαν· ἀρκτικωτέρα γὰρ ἡ Κύζικος τῆς Κολοφῶνος, ὀμφαλὸν δὲ καλεῖ τὸν βόρειον πόλον, ὡς μεσαίτατον, ἢ αὐτὴν τὴν ἄρκτον διὰ τὸν παρακειμένον αὐτῇ τῶν ἄστρων χορόν· ὀμφαλόεσσα εἴρηκε διὰ τὸ μέσον τοῦ βορείου κεῖσθαι.*

---

1) Etiam haec debeo Julio de Negelein.

vs. 17. In papyro leguntur haec: *ομφαλος ον κατεχεις κοσμου κινεις δε το αγνον.* Singula corrupta sunt: *ὀμφαλός*, quod nullo modo ferri potest, Wessely in *ὀμφαλόν* correxit. Porro certe depravatum est *τό*; neque enim in hoc versu substantivum neutrius generis, ad quod *το* referri possit, invenitur; immo articulus spectat aut ad *κόσμου* aut ad *ὀμφαλόν*. Itaque pro *τό* scribendum est *τόν*. Postremo *δέ* in *τε* corrigendum est, cum *δέ* hoc loco versus rarissime reperiatur et particula adversativa sensu careat; de *δ* et *τ* confusis cf. supra p. 37.

Offensionem habet verbum bis positum *κινεῖν*; vs. 16: *κινήσῃς*, vs. 17: *κινεῖς*; facile *κινήσῃς* in versu antecedenti mutari potest in *δινήσῃς*; neque vero id necesse est. Nam primum hic *Ἀφροδίτη* et *κίνησις* in aequo ponuntur, tum in versu 17 poeta allitteratione usus est litterae *κ*: *κατέχεις κόσμου κινεῖς*, praeterea fortasse litterae *ο*: *ὀμφαλὸν ὃν* et *τ*: *τε τόν*.

vs. 18—19 in papyro sic traduntur: *. ε . . νεις ανδρων ψυχας επι δ ανδρα γυναικας κανδρι γυναικα τιθησι ερασμιαν ηματα παντα.* Quid posterior pars horum verborum sibi velit, perspicuum est; postquam Wessely *τιθησι* correxit in *τίθῃς συ*, versus est hic: *κἀνδρὶ γυναῖκα τίθῃς συ ἐράσμιαν ἤματα πάντα.* Herwerden quidem putat sensum versus praecedentis fuisse hunc: *ἐκμαίνεις γυναῖκας ἐπ' ἀνδράσιν.* Quin haec sententia in versu 18 insit, dubitari non potest; profecto sensum ab Herwerdeno postulatum habent verba versus ultima *ἐπὶ δ' ἄνδρα γυναῖκας.* Sed in initio versus verba in universum intellegenda esse puto; *ἀνδρῶν* enim hic idem est atque *ἀνθρώπων* ut in illa formula Homerica *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε*, ita ut sententia alterius partis versus 18 sit haec: ‚amore incendis hominum animos', id quod in altera parte versus 18 et in versu 19 pluribus verbis ex-

ponitur. Sententia est igitur aperta; quale vero vocabulum in initio versus mutilatum sit, difficile est dictu; in papyro cognoscuntur haec: . . ε . . . νεις; perierunt igitur et ante ε duae litterae et post ε tres fere. Wessely lacunam explevit scribens *ἐντείνεις*, Herwerden *ἐκμαίνεις*. At utraque coniectura reicienda est, quia spatia, quae sunt et ante et post ε litteram, illis vocabulis non supplentur; immo puto lacunas sic expleri posse: [φλ]ε[γμαί]νεις — fortasse *ΦΛΕΓΜΕΝΕΙΣ* scriptum erat — quod verbum et saepius de amore adhibetur et, cum *πῦρ ἔρωτος* indicet, egregie quadrat ad versus 22 verbum *τακῆναι*. Stabilitur haec coniectura vs. 2767 sq.: *φλέξον ἀκοιμήτῳ πυρὶ τὴν ψυχήν*; cf. etiam vs. 1731 sq.: *Ἔρωτα ἐπὶ πόλου ἑστῶτα, λαμπάδα κρατοῦντα καομένην, φλέγοντα τὴν ψυχήν*. Nisi fuit [ϑ]ε[ρμε]νεις h. e. *ϑερμαίνεις*.

Sed vidimus vocem *ἀνήρ* in eodem versu bis diverso significatu adhiberi et vocabulis *ἐπὶ δ' ἄνδρα γυναῖκας* verbum deesse. Quae quamvis nonnullam offensionem habere concedendum sit, tamen ea in hac poesi parvi momenti sunt; nam illud eo excusatur, quod alterum adhibetur plurali numero *ἀνδρῶν*, alterum singulari *ἄνδρα*, qui quid valeat, facile intellegi potest, cum opponatur vocabulo *γυναῖκας*. Quod ad verbum omissum pertinet, hoc videlicet idem est atque in sententia praecedenti: *φλεγμαίνεις*.

ἐράσμιαν] pap.; *ἐράσμιον* scribunt Wessely et Herwerden, quibus mira videatur vocis *ἐράσμιαν* prosodia. Itaque cogimur aut scribere *ἐράσμιον*, id quod fieri potest, cum *ἐράσμιος* sit etiam pro forma feminini generis (cf. Luc. Alex. c. 6: *Μακέτιν γυναῖκα . . . ἐράσμιον δὲ ἔτι εἶναι βουλομένην*), aut *ἐράσμιαν* adiectivi syllabam ultimam brevem esse putare. Quamquam exemplum non inveni, quo haec prosodia con-

firmatur, tamen mutare non audeo, cum hac aetate, qua hi hymni orti sunt, vocales longae et breves non iam internoscerentur; cf. supra p. 18 et 63/4. — Hiatus, qui est inter *συ* et *ἐράσμιαν*, a caesura *μετὰ τὸν τρίτον τροχαῖον* excusationem habet; cf. Il. *Γ* 376: *κείνη δὲ τρυφάλεια ἅμ'*. . . . Praeterea hic agitur de vocali *υ*, quae elisionem nunquam permittit; cf. Il. *Ζ* 123: *τίς δὲ σύ ἐσσι;*

vs. 20. *ἡμετέρα]* pap. *ημετερε*, quod grammatica et metrum vetant; utrum corrigendum sit *ἡμετέρη* (sic Wessely et Fahz) an *ἡμετέρα*, difficile est diiudicare, cum *α* et *ε* saepe in scriptura (cf. supra p. 67 ad vs. 12: *αλληχουχα* pro *ἀλληλοῦχε*), *ε* et *η* pronuntiatione confundantur (cf. Mayser l. l. p. 64 sq.).

vs. 21. Papyrus praebet haec: *ποτνια αρρωριφρασι γωθητινι κυπρογενεια σουιης θνοβοχαυ θοριθειθεν επιω ανασσα σερθεν εβηηϊ· και τη Δ̣ ην Δ̣ βαλε πυρων ερωτα.* Hoc loco series vocum mysticarum invenitur, quae manifesto postea inserta est; certe ephesia grammata sunt haec: *σουιης θνοβοχαυ θορι θειθεν επιω σερθεν εβηηϊ.* Wessely quidem *αρρωριφρασι*, quod in *Ἀρορίφρασι* commutat, et *γωθητινι* in textum recepit, sed ipse dubitat, num recte fecerit. Ego quidem et haec nomina arcana non recipienda esse puto; neque enim ea e lingua Graeca explicari possunt et *αρρωριφρασις* etiam pap. vs. 2234 mediis in vocibus mysticis est, quo loco verba sunt haec: *ἐπίγραφε τῷ μέλανι· σθενεπιω αρρωριφρασις χυυυ ιιι.* Itaque et haec vocabula aeque atque formula sequens *και τη δεινα ην δεινα* tollenda sunt; superfluum videtur etiam *ἄνασσα*, quia antecedit *πότνια* vocabulum eiusdem significationis. Reliquorum verborum *πυρων* corruptum est, cum sensu careat; Wessely pro hoc *πῦρ* scribens versus finem sic restituit: *πῦρ ἔμβαλ' ἔρωτος*. Neque vero haec esse verba genuina verisi-

mile est: nam *ἔρωτα* mutare non licet. et in *πυρων* videtur latere adiectivum compositum, fortasse *καπυρόν*, aptum amoris epitheton: cf. Theocr. II 85: *ἀλλά μέ τις καπυρὰ νόσος* (i. e. *ἔρως*) *ἐξαλάπαξεν*. Ut versus bene cadat, verba paulum transponenda sunt, fortasse sic: *πότνια Κυπρογένεια . . . καπυρὸν βάλ' ἔρωτα*. Sed versus est mancus, cum pro formula remota *τῇ δεῖνα ἣν ἡ δεῖνα* aliud vocabulum ponendum sit: addidi *αὐτῇ* pronomen, ante quod ultima vocalis substantivi *Κυπρογένεια* elidenda est. Quamvis haec coniectura ea causa parum placeat, quod a vs. 8, quo puella commemoratur, longius abest, tamen *αὐτῇ* recepi, quia vs. 1—9 et 20—22 artius inter se conectuntur; cf. infra p. 80.

vs. 22 in papyro traditur sic: *ωστ επ εμου του Δ ου η Δ φιλοτητι ταγηναι ηματα παντα*. Rursus reicienda est formula *του Δ ου η Δ*, quae hic ad genetivum pronominis *ἐμοῦ* addita est. Porro *ταγηναι* depravatum est: nam verbum *ταττειν*, a quo forma *ταγῆναι* derivatur, parum quadrat et in sententiam et in structuram: si enim *ταγῆναι* genuinum esset, *ἐπ' ἐμοῦ φιλότητι* commutare in *ἐπ' ἐμὲ φιλότητι* cogeremur, quod metrum vetat. Varie quidem viri docti versum sanare conati sunt: Wessely scribens *μιγήμεναι*, Herwerden *μανήμεναι*, Fahz *τακήμεναι*. At hae coniecturae omnes a litteris traditis longius absunt: Fahzium secutus puto *ταγηναι* perperam scriptum esse pro *τακῆναι*, quae mutatio levissima, cum media et tenuis saepe in papyris Aegyptiacis commisceantur. *τακῆναι* vero sententiae aptissimum esse iam Fahz recte intellexit, praesertim cum vs. 18 — si recte conieci — *πῦρ ἔρωτος* commemoretur, quo animus puellae ut cera liquescat: identidem *τήκω* hoc sensu adhibetur ut a Theocrito II 28 9: *ὡς τοῦτον τὸν κηρὸν ἐγὼ σὺν δαίμονι τάκω | ὣς τάκοιθ' ὑπ'*

ἔρωτος ὁ Μύνδιος αὐτίκα Δέλφις, quos versus Vergilius Ecl. VIII 80 imitatus est: 'Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquescit | uno eodemque igni: sic nostro Daphnis amore.' Quaerendum est autem, num *τακῆναι* cum metro concinat. Prima syllaba negotium nobis nullum exhibet, quippe quae brevis sit; nam aoristus pass. II derivatur a radice *τακ-*, cuius vocalem esse brevem demonstratur ep. gr. 116, 4 Kaibel: *σχήματι, μήτε νόσῳ μήτ' ὀδύνῃσι τακείς* et Lycophr. Alex. 672: *πείσει τακῆναι σάρκας ἀκμήνους βορᾶς*. Praeterea observandum est in hymni versu longam esse syllabam ultimam vocabuli *τακῆναι*, etsi hoc perispomenon est et vox sequens a vocali incipit; sed simillime res se habet Il. *E* 685: *κεῖσθαι, ἀλλ' ἐπάμυνον* ... vel Od. *υ* 109: *αἱ μὲν ἄρ' ἄλλαι εὗδον* ...

vs. 23 et 24 sic traduntur: *συ δε μακαρ ζουρω ταδε νευσον εμοι τω Δ ως σον εν αστροις ες χορον ουκ εθελοντα ηξες επι λεκτρα μιγηναι*, quae verba haud dubie corrupta varie a viris doctis restituuntur, vid. supra p. 57. Nec vero hos sequi possum, cum aut parum rationis habeant vocum traditarum, aut nimium addiderint, id quod mihi non necessarium videtur. Tantum mihi concedas versum 23 sq. cum versu 13 arte cohaerere atque nominibus *Ῥουζω* et *Ζουρω* unam eandemque stellam significari, cum hoc loco *Ῥουζω* scribendum esse supra p. 70 demonstraverimus; deinde illic commemoratur *Βαρζαν* (vs. 13) et *Ῥουζω* (vs. 16), hic *ζουρω* (vs. 23) et *Βαρζαν* (vs. 25); tum verba *τὸν ἐν ἄστροις* (vs. 16) et *σὸν ἐν ἄστροις* (vs. 23) illum conexum indicant. Si hoc verum est, fieri non potest, ut *Ῥουζω* imperativo *νεῦσον* appelletur aut subiectum verbi *ἦξες* sit, id quod papyrus suadere videtur. Quamquam precationem saepius non ad deam ipsam, sed ad eius ministrum di-

rigi solere negari non potest, tamen hic de eadem re cogitare non licet; nam hic agitur de gravissimo precationis genere, quod *ἐπάναγκος* dicitur (cf. de hac re C. Buresch, 'Klaros', Lips. 1889, p. 20), ut magus auxilium ministri deae orare omnino non possit. Deinde conexus sententiarum *ζουρω* invocando plane turbatur; tum illi sententiae repugnant verba ipsa vs. 23 sq., atque suspectum videtur *σὺ δὲ* (vs. 23), quod metrum diruit et cum initio versus 27 tradito congruit. Imprimis vero obstant verba post versum 26 tradita *διὸ ἆξόν μοι τὴν δεῖνα ἣν δεῖνα φιλότητι καὶ εὐνῇ*, quae cum verbis antecedentibus *διὸ ποίησον, ἄνασσ', ἱκετῶ ἆξον τὴν δεῖνα ἣν δεῖνα τάχιστα μολοῦσαν ἐλθεῖν ἐν προθύροισιν ἐμοῦ τοῦ δεῖνα ὃν ἡ δεῖνα φιλότητι καὶ εὐνῇ·* plane concinunt; cum haec ad deam directa sint, permirum esset illa spectare ad ministrum deae. Quibus de causis papyri sententia refutanda est, h. e. *Ῥουζω* obiectum putandum et cum verbis *οὐκ ἐθέλοντα* coniungendum; subiectum est igitur dea *Ἀφροδίτη*, quam ob rem *μάκαρ* in *μάκαιρα* mutare necesse est. Videlicet formula *τῷ δεῖνα* delenda. Ut vero versus fiat, verba sic componenda sunt: *νεῦσον ἐμοί συ, μάκαιρα, τάδ' ὡς Ῥουζω σὸν ἐν ἄστροις κτέ.* — *ὡς* hoc loco est particula causalis (i. e. eodem modo quo); utrum pro *τον* scribendum sit *σὸν* verbaque *τὸν ἐν ἄστροις* ad *Ῥουζω* referenda sint, an — quod est verisimilius — *σόν* retinendum et cum verbis sequentibus *ἐς χορόν* sit conectendum, est dubium. — Pro *χορόν* Herwerden coniecit *κόρον* i. e. 'ad satietatem tuam', quae coniectur necessaria non est.

ἦξες] sic pap.; *ἆξασ'* scribunt Wessely et Herwerden. Etsi usitatior forma est *ἦξα*, tamen etiam *ἦξον* aoristus invenitur; cf. Il. *Ω* 778: *ἄξετε νῦν, Τρῶες, ξύλα*, vel Il. *Θ* 545: *ἐκ πόλιος δ' ἄξοντο*

βόας ... Post *ἦξες* Wuenschius *τέ* inseruit, qua particula addita vocis *ἦξες* exitus producitur. Sed hanc voculam recipere non possum, quia *τέ* hoc loco versus a me restituti poni non licet, cum in versu Wuenschii *τε* stabiliatur verbis additis: *ἦξες πρός τε χορούς*. Metri causa aliquid addere non necesse est; nam verbi *ἦξες* syllaba brevis in arsi producitur, praesertim cum productioni faveat caesura hepthemimeres (cf. Kühner-Blass I 1 p. 308/9).

vs. 26. *ἀναπαύσετ'*] pap. praebet *ανεπαυσετ'*, quod Wessely *τ* in *ϑ* mutato retinet; *ἀνέπαυσέ ϑ'* scribit Falız. Hoc pravum esse iam ex particula *τέ* ter sine ratione posita intellegi potest. Itidem repudiandum est *ἀνεπαύσεϑ'*, de qua forma aoristi nihil constat; immo retinendum est *ἀναπαύσετ'* futurum; de diphthongo elisa v. huius opusculi extremam partem.

ἐλισσόμενος] Wessely et Falız scribunt *ἑλισσόμενος*, ante quod tenuem *τ* praecedentem in aspiratam mutant; id quod non necessarium est. Forma *ἑλίσσω* (cum spiritu aspero) usitatior quidem est, tamen *ἐλίσσω* re vera exstare et codicibus (cf. app. crit. ad Il. *N* 204, *P* 253 alios locos in editione Ludwichi) et verbis compositis *ἀπελισσω*, *ἐπελίσσω*, *ὑπελίσσω* demonstratur; exempli gratia affero Nic. Ther. 220, ubi omnes libri manuscripti exhibent *ἐπελίσσεται*.

Post versum 26 in papyro leguntur haec: *διο αξον μοι την Δ ην Δ φιλοτητι και ευνη*, ex quibus Wessely, quem Falız secutus est, constituit hunc versum: *ἄξόν μοι τὴν δεῖν' ἱκετῶ φιλότητι καὶ εὐνῇ*. At iam supra vidisti haec ex versibus 6/7 repetita esse; itaque versum restituere necessarium non est.

vs. 27. Initium versus in papyro corruptum est; hic enim legitur: *συ δε κυπρογενεια*, quod metrum vetat. Facillime vero versus corrigitur *δέ* in *ἀλλά* mutato, quod saepe in fine hymnorum Orphicorum reperitur ut

6, 10: *ἀλλά, μάκαρ, . . . βαῖνε γεγηθώς*; 11, 21 al. — Herwerden dubitat, an hic quoque versus ab 'hymni auctore abiudicetur'; neque vero intellego, cur hic versus sit tollendus; nam in fine hymni dea apte oratur, ut carmen magicum perficiat — premitur igitur vox *τελέαν* —, quae precatio *τέλος* ferendi non raro in eiusmodi *ἐπαοιδαῖς* reperitur ut iam apud Theocritum II 14/5: *ἐς τέλος ἄμμιν ὀπάδει | φάρμακα ταῦτ' ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκας κτλ.*

De compositione

Hymnus *εἰς Ἀφροδίτην* est compositus ex tribus partibus, quarum prima et altera iam ratione, qua carmen in papyro traditur, — in hac enim hae partes vocibus mysticis dirimuntur neque modo illa sed etiam haec titulum *ἐπάναγκος* habet — seiunguntur; atque prima pars vs. 1—9, altera vs. 10—19, tertia vs. 20—27 continet. Quarum prima dici potest hymnus vere magicus; nam huius et totus tenor ad rem magicam spectat et singuli versus imprimis vs. tertius, quem congruere cum illa defixione metrica supra commemoravimus, et vs. 9, cuius verba *σήμερον ἄρτι ταχύ* et *ὁρκίζω γάρ σε . . .* praecepta magica indicant; his enim proprium est tempus et celeritatem tantopere premere; ut exempla afferam, cf. cum verbis *σήμερον ἄρτι* vs. 1932 sq.: *ἐπικαλοῦμαί σε, κύριε ἥλιε, καὶ τοὺς ἁγίους σου ἀγγέλλους ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ, ἐν τῇ ἄρτι ὥρᾳ*, vel 1579 sq.: *ἄγε μοι τὴν δεῖνα τῆς δεῖνα πρὸς ἐμὲ τὸν δεῖνα τῆς δεῖνα ἐν τῇ σήμερον ἡμέρᾳ, ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, ἐν τῇ ἄρτι ὥρᾳ.* — Porro *ταχύ* ostendere formulam finalem usitatam *ἤδη ἤδη ταχὺ ταχύ* (vs. 1924) monere vix necesse est. Postremo *ὁρκίζω σε* saepissime in defixionibus et in libris magicis inveniuntur; afferam illius tabellae Hadrumeti repertae verba vs. 8 sq. (saepius repetitae, v. c. D T A

p. XVII sq.): *ὁρκίζω σε τὸν μέγαν θεὸν . . . ὁρκίζω σε τὸν κτίσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν θάλασσαν· ὁρκίζω σε τὸν διαχωρίσαντα τοὺς εὐσεβεῖς· ὁρκίζω σε. . . .* Quod ad hanc partem carminis ipsam spectat, eius caput truncatum esse iam supra p. 57 commemoratum est: exitus, quem verba *ἄρτι ταχύ* aperte ostendunt (cf. supra p. 78), servatus duas sententias continet: vs. 1—5 deae *ἀρά* denuntiatur, vs. 6—9 preces emittuntur.

Ad alteram partem hymni componendam carmina orphica adhibita sunt: id illustretur locutionibus similibus sententiisque tabula conscriptis:

hymn. magic.	hymn. orph.
vs. 10. *Ἀφρογενὲς Κυθέρεια, θεῶν γενέτειρα καὶ ἀνδρῶν,*	*εὐχὴ πρ. Μουσ.* 11: *ἀφρογενής τε θεά, . . .*; 42, 7: . . . *σὺν ἐυστεφάνῳ Κυθερείῃ*; 3, 1: *Νύκτα θεῶν γενέτειραν ἀείσομαι ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.*
vs. 11. *αἰθερία, χθονία, Φύσι παμμήτωρ ἀδάμαστε,*	3, 8: *ἡμιτελές, χθονία ἠδ' οὐρανία πάλιν αὐτή*; 10, 14: *αἰθερία χθονία τε καὶ εἰναλία μεδέουσα*; 10, 1: *Ὦ Φύσι, παμμήτειρα θεά, . . .*; 10, 18: *πάντων μὲν σὺ πατήρ, μήτηρ . . .*; 10, 3: *πανδαμάτωρ, ἀδάμαστε, . . .*
vs. 12. *ἀλληλοῦχε, πυρὸς μεγάλου περιδεινήτειρα,*	10, 9: *κοινὴ μὲν πάντεσσιν, ἀκοινώνητε δὲ μούνη*; 10, 21: *ἀιδία κινησιφόρος . . .*
vs. 13. *ἡ τὸν ἀεικίνητον ἔχεις περιδεινέα Βαρζαν*	84, 2: *ἣ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο, . . .*
vs. 14. *ἄρρηκτον· σὺ δὲ πάντα τελεῖς κεφαλήν τε πόδας τε,*	19, 11: *(ἀνίκητον βέλος ἁγνόν) ἄρρηκτον . . .*; 10, 28: *πάντα σὺ ἔσσι· τὰ πάντα σὺ γὰρ μούνη τάδε τεύχεις.*

vs. 17. *ὀμφαλὸν ὃν κατέχεις κόσμου· κινεῖς τε τὸν ἁγνόν,*	27, 5: *ἡ κατέχεις κόσμοιο μέσον θρόνον . . .*
vs. 18—19. *φλεγμαίνεις ἀνδρῶν ψυχάς, ἐπὶ δ' ἄνδρα γυναῖκας κἀνδρὶ γυναῖκα τίθης συ ἐράσμιαν ἤματα παντα.*	15, 13 sq.: *ἐνζεύξασα βροτοὺς ἀχαλινώτοισιν ἀνάγκαις | καὶ θηρῶν πολὺ φῦλον ἐρωμανέων ὑπὸ φίλτρων.*

Tertia pars ex versibus orphicis et magicis est composita; atque magici sunt vs. 20—22 (id demonstrant verba *ἐπαοιδαῖς* [vs. 20], *καπυρὸν . . . ἔρωτα* [vs. 21], *τακῆναι* [vs. 22; cf. E. Kuhnert 'Feuerzauber', mus. rhen. IL (1894) p. 37 sq.]) et vs. 27 (cf. supra p. 78). Qui versus alterum hymnum magicum efficiunt, cuius initium itidem periit. Artius igitur inter se coniungendi sunt hi versus:

vs. 1—9: prior hymnus magicus.
vs. 20—22 }
vs. 27 } posterior " "

Nonnulla quidem ex alia ac Graeca religione hausta esse ostendunt nomina Persica *Βαρζαν*, *Ῥουζω* et voces mysticae in hymnum post versum 11 insertae: *Ἀκτιωφι Ἐρεσχιγαλ Νεβουτοσουαληθ* — *Ἐρεσχιγαλ* enim est dea babylonica Êriškigal (cf. Drexlerum in Roscheri Myth. Lex. s. v. 'Kure Persephone Ereschigal' II 1 col. 1586), quae dea hic cum Venere confunditur. Eisdem nominibus appellatur Hecata in hymno pap. Par. vs. 2714, qui simillime atque hoc carmen *εἰς Ἀφροδίτην* compositus est, h. e. qui id spectat, ut amor puellae comparetur, qui magnam partem orphicus est, qui nomina illius deae babylonicae continet. Eadem autem nomina *Ἀκτιωφι Ἐρεσχιγαλ Νε-*

βουτοσουαληθ identidem in tabella plumbea Alexandriae reperta (DTA praef. p. XV col. II) leguntur (vs. 3, 8, 18: *Ἐρεσχιγαλ*; vs. 13: *Ἐρεσχιγαλ Νεβουτοσουαληθ*). Itaque vix dubitari potest, quin ut haec tabella defixionis ita illa carmina Hecatae et Veneris in Asia minore orta sint, qua in terra maxime Graeci societate Persarum contingebantur. De aetate, qua carmen Veneris compositum est, cf. adn. ad vs. 5 p. 64.

Carminis igitur dispositio haec:

I. vs. 1—9: carmen vere magicum.

1. vs. 1—5: deae dirae enuntiantur (praeierunt olim nonnulla quae nunc amissa sunt);
2. vs. 6—9: dea oratur, ut puellam ad incantantem ducat.

II. vs. 10—19: in modum carminum Orphicorum confecti *ἐπικλήσεις* continent.

3. id dea facere potest,
   a) vs. 10—17: cum sit summa mundi regina,
   b) vs. 18—19: cum sit dea amoris.

III. vs. 20—27: magici et orphici:

4. itaque dea veniat implorantique obsequatur.
   a) vs. 20—22: magici,
   b) vs. 23—26: carminis orphici exitus et precatio,
   c) vs. 27: magicus.

III

Εἰς Σελήνην

Hic hymnus Lunae pap. vs. 2242—2347 legitur. Primus Wessely carmen in actis academicis Vindobonensibus vol. XXXVI p. 31 sq. restituit. Denuo van

Herwerden in Mnemosynes vol. XVI (1888) p. 337 tractavit; vs. 53—55 A. Dieterich in libro, qui inscribitur 'Abraxas', p. 76, et vs. 71—76 ibidem p. 35 edidit.

Χαῖϱ' ἱεϱὸν φῶς, ταϱταϱοῦχε, φωτοπλήξ,
χαῖϱ' ἱεϱὰ αὐγὴ ἐκ σκότους εἰλημμένη,
ἀναστατοῦσα πάντα βουλαῖς ἀστόχοις.
καλέσω κἀκούσῃ μου τῶν ἱεϱῶν λόγων
φϱικτῆς ἀνάγκης πάντοθ' ὑπεϱεστϱωμένης.
δεθεῖσα τϱὶς λύθητι, ἐλθέ βϱίμασον,
τὸν δεῖνα. Κλωθὼ γὰϱ ἐπικλώσει σοι λίνα.
νεῦσον μάκαιϱα, πϱὶν στυγνήν σε καταλάβω,
πϱὶν τοὺς ξιφήϱεις ἀναλάβῃς σου κονδύλους,
πϱὶν ἠδὲ λυσσῇς, ἰσοπάϱθενος κύων.
τὸ δεῖνα ποιήσεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς,
ὅτι οἶδά σου τὰ φῶτα πϱὸς στιγμῆς μέτϱον
καὶ τῶν καλῶν σου μυσταγωγὸς πϱαγμάτων
ἐπόπτης τ' εἰμὶ καὶ συνίστωϱ, παϱθένε.
ὃ δεῖ γενέσθαι, τοῦτ' οὐκ ἔξεστιν φυγεῖν.
τὸ δεῖνα ποιήσεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς.
ἐνεύχομαί σοι τήνδε νύκτα κυϱίαν,

1 *χαιϱε* P(apyrus), *χαῖϱ'* W(essely), H(erwerden) || 2 *χαιϱε* P, *χαῖϱ'* W H | *ιεϱα αυγη* P W, *ἱεϱαυγές* H | *ειλημμενη* P, *ἐνημμένη* W H || 3 *αστοιχοις* P, *ἀστόχοις* W H || 4 *καλεσῃ* (ω) *και ακουση* P, *κλήζω σ' ἀκούσῃς* W, *καλῶ σ', ἄκουσον* H | *μου των ιεϱων λογων* P W, *ἱεϱῶν ἐμῶν λόγων* H || 5 *παντοτε σοι υπεστϱωμενης* P, *πάντοθ' ὑπεϱεστϱωμένης* W H || 6 *λυθητι ελθε* P W, *λύθητ' ἔπελθε* H || 7 *κλωθω γαϱ επικλωσει σοι* P H, *Κλωθώ σοι δ' ἐπικλώσει* W | *λιναν ευσον* P, *λίνα. νεῦσον* W H || 10 *πϱιν ηδε* P W, *πϱινή τε* H, *πϱὶν ἢ βδελύσσῃς* Kroll (Philol. LIV 562) | *ισου παϱθενος* P, *ἰσοπάϱθενος* W H | *κυων* P H, *κύον* W || 11 *δινα* P, *δεῖνα* W H | *ποιησεις* P, *πϱάξεις* W H || 12 *οτι οιδα σου τα φωτα πϱοστιγμης μετϱον* P, *τὰ φῶτ' ἀείδω σου τὸ πϱὸς στίγμης μέτϱον* W, *ὡς οἶδά σου τὰ φῶτα πϱὸς στιγμῆς μέτϱον (?)* H || 14 *υποτϱειμι* P, *ὑπουϱγός εἰμι* W H, *ἐπόπτϱι' εἰμὶ* Kroll || 15 *το διγενες τε* P, *ὃ δεῖ γενέσθαι* W H | *τουτ ουκ εξεστιν* P, *τοῦτο δ' οὐκ ἔστιν* W H (*τοῦτο πῶς ἔστιν* prop. H) || 16 *τον* ⌂ P | *αποισεις* P W, *ἀπολέσεις* H

ἐν ᾗ τὸ σὸν φῶς ὕστατον χωρίζεται,
ἐν ᾗ κύων κέχηνε κοὐ κλείει στόμα,
ἐν ᾗ τὸ κλεῖθρον ἠνέῳγε ταρτάρου,
ἐν ᾗ προλυσσᾷ Κέρβερος κεραύνοπλος.
ἔγειρε σεαυτὴν ἡλιωτίδος τροφοῦ
χρήζουσα Μήνη, νερτέρων ἐπίσκοπε,
ἐνεύχομαι δ' αὐγὴ ξένη σοι, παρθένε,
ἐνεύχομαί σοι· δαίδαλ' ἧκ' ἀκτὶ θοή,
ἀκτινοχαῖτι ἰοχέαιρα παρθένε,
δόλου τέ μοῦσαν καὶ φόβου σωτηρίην
ἥ σ' οἶδα, πάντων ὡς μάγων ἀρχηγέτης
Ἑρμῆς ὁ πρέσβυς Ἴσιδος πατὴρ ἐγώ.
ἄκουσον, Βριμώ· τοῦτο γάρ σου σύμβολον·
τὸ σάνδαλόν σου ἔκρυψα καὶ κλεῖδα κρατῶ,
ἤνοιξα ταρταρούχου κλεῖθρα Κερβέρου
καὶ νύκτα τὴν ἄωρον παρέδωκα σκότει.
ῥόμβον στρέφω σοι, κυμβάλων οὐχ ἅπτομαι.
ἄθρησον εἴς με Νειλωΐτιδος χάριν
κάτοπτρον ἣν ἰδοῦσα σαυτὴν θαυμάσεις,

19 *κεχηναι* P, *κέχηνε* W H | *και ου* P, *κοὐ* W H | *κλιει* P, *κλείει* W H || 20 *ηνεωχε* P H, *ἠνέῳχεις* W || 21 *κεραυνοπλους* P, *κεραύνοπλος* W H || 22 *σεαυτην* P, *σαυτὴν* W H | *τροπου* P, *τρόπον* W H, *τροφοῦ* Kroll || 23 *χρηζουσα* P W, *χρήζουσι* H | *μηνην* P, *Μήνη* W H || 24 *σοι ξενη δ' αυγη* P, *ξεινοδηγὲ* W, *ξειναγωγὲ* H | *παρθενε* corr. ex *παρθενη* P || 25 *δαιδαλη και πιθοη* P, *δαιδάλη καὶ πειθόη* W, *δαιδάλη καὶ* * * H || de parte hymni post versum 25 inserta cf. infra ad vs. 26 || 26 *ακτινοχαιτι* P W, *ἀντινοχαῖτις* H || 27 *δολου τε μουσαν* P, *δόλον τεμοῦσα* W, *δόλου τέ μοί συ καὶ* H | *σωτηριην* P, *σωτηρίη* W, *σωτηρίαν* H || 28 omisit W | *ησ οιδα παντων* P, *διδοῦσα παντός (ὡς — ἐγώ)* H || 30 *ακουσον ηω φορβα· βριμω σαχμι: νεβουτοσουαληθ· τουτο γαρ σου συμβολον* P, *ἄκουσον, ἱκετῶ, τοῦτο γάρ σου σύμβολον* W, *ἄκουσον* * * *τοῦτό σου σύμβολον* H || 32 *ταρταρουχου κλειθρα ταρταρου* P, *κλεῖθρα ταρταρούχου* W H || 33 *νυκτα την αωρον* P, *νύκτ' ἄωρον τήνδε* W H || 34 *ουχ απτομαι* P W, *τ' ἀνθάπτομαι* H || 35 *εις σε νειλωϊτιδος* P, *εἴς σε, ἡλιωτίδος* W, *εἰς Νειλῷα νάμαθ', ὡς* H, *εἴς με Νειλωίτιδος* prop. Wuensch || 36 *ην ιδουσα* P, *εἰσιδοῦσα* W H.

πρὶν ἢ μέλαν φῶς ἐκπτύσης ἀπ' ὀμμάτων.
ὃ δεῖ σε ποιῆσαι, τοῦτο δεῖ σε μὴ φυγεῖν,
τὸ δεῖνα ποιήσεις, κἂν θέλης κἂν μὴ θέλης.
ἵππος, κόρη, δράκαινα, λαμπάς, ἀστραπή,
ἀστήρ, λέων, λύκαινα, ⟨κάρκινος, κύων⟩,
σκεῦος παλαιόν, κόσκινόν μου σύμβολον
καὶ ψωμὸς εἷς, κόραλλος, αἷμα τρυγόνος,
ὄνυξ καμήλου καὶ βοὸς θρὶξ παρθένου,
Πανὸς γόνος, πῦρ ἡλιωτίδος βολῆς,
χαμαίλυκον, νήθουσα, παιδέρως, ἆρις,
γλαυκὸς γυναικὸς σῶμα διεσκελισμένον,
σφιγγὸς μελαίνης ἡ φύσις θεωρουμένη.
ἅπαντα ταῦτα σύμβολόν μου πνεύματος.
ὅλης ἀνάγκης δέσμα συνραγήσεται
καὶ κρύψει σὸν φῶς Ἥλιος πρὸς τὸν νότον,
Τηθύς τε τὴν σὴν κουφίσει οἰκουμένην,
Αἰὼν κραδαίνει, κινηθήσετ' οὐρανός,
Κρόνος φοβηθείς σου τὸν νοῦν βεβιασμένον
πέφευγ' εἰς Ἅιδην νερτέρων ἐπίσκοπος,
Μοῖραί σου τὸν ἀνέκλειπτον ῥίπτουσιν μίτον,
ἂν μὴ μαγείης τῆς ἐμῆς ἀναγκάσης

37 *μελαν φως* P W, *με πᾶν φῶς* H | *εκπτυσης* corr. ex *εκπτυτης* P, *ἐκπτύσῃς* W, *ἐκπτυπῆσαι* sive *ἐκκτυπεῖν* H || 38 *ποιησαι* P, *πρᾶξαι* W H || 39 *το Δ μοι ποιησεις* P, *τὸ δεῖνα πράξεις* W H || 41 post *λύκαινα* habet *αηω η η* P || 42 *μου* P W *μοι* H || 43 *ψῶμος* W H || 46 *χαμαιλυκον* P, *χαμαιλέων* W, *χαμαίλυκος* H | *νηθουσα* P H, *ἀνθοῦσα* W || 47 *γλαυκης* P W, *γλαυκὸς* H || 48 *θεωρουμενη* P H, *πηρουμένη* W || 49 *μου* P W, *μοι* H || 50 *συνραγησεται* P W, *συρραγήσεται* H || 51 *και κρυψει* P, *κρύψει τε* W H | *σον φως* P W H (*θ' ἑὸν φῶς* H) || 52 *κουφισει* P H, *κουφιεῖ* W (*γῆν νοσφιεῖτ' οἰκητόρων* H) || 53 *αιων κραδαινει* P W, *αἰθὴρ κραδαίνετ'* H | *κινηθησεται ουρανος* P, *οὐρανὸς κινήσεται* W H Dieterich || 54 *τον βεβιασμενον σου νουν* P, *σοῦ τε νοῦν βεβιασμένον* W, *τὸν βεβιασμένον πόλον* H, *σοῦ τὸν νοῦν βεβιασμένον* Dieterich || 55 *πεφευγε* P | *εις αδην* P, *ἐς Ἅιδην* W H Dieterich || 56 *μοιραι σου τον ανεκλιπτον* P, *ἀνεκλιπῆ Μοῖραί τε* W, *ἀνέκκλιτον Μοῖραί τε* H | *ριπτουσι* P, *ῥίπτουσιν* W H || 57 *αναγκασης* P, *ὑποκλιθῇς* W, ⟨*μ' ἐᾷς, δίκην*⟩ H

βέλος πετηνὸν ταχύτατον τέλος δραμεῖν.
οὐ γὰρ φυγεῖν ἔξεστι μοῖράν μου λόγων.
ὃ δεῖ γενέσθαι· μή τ' Ἄτην ἀναγκάσῃς
ἄνωθεν αὐτῶν εἰσακούειν σύμβολον.
τὸ δεῖνα ποιήσεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς,
ἀχρείου φωτὸς πρίν σε μοῖρα καταλάβῃ.
ποίησον, ὃ λέγω, ταρταροῦχε παρθένε,
ἔδησα δεσμοῖς τοῖς Κρόνου τὸν σὸν πόλον
στυγνῇ τ' ἀνάγκῃ ἀντίχειρά σου κρατῶ.
οὐτ' αὔριον, νῦν δεῖ γενέσθ', ὃ βούλομαι.
ἔνευσας Ἑρμῇ, τῷ θεῶν ἀρχηγέτῃ,
εἰς τήνδε πρᾶξιν συμβαλεῖν· φήμην ἔχω.
ἄκουσον ἡ θεωροῦσα καὶ θεωρουμένη.
βλέπω σε καὶ βλέπεις με κἀγὼ ἔπειτά σε.
ἐρῶ σημεῖον· χάλκεον τὸ σάνδαλον
τῆς ταρταρούχου, στέμμα, κλεῖς, κηρύκιον,
ῥόμβος σιδήρεος καὶ κυάνεος κύων,
κλεῖθρον τρίχωρον, ἐσχάρα πυρουμένη,
σκότος, βυθός, φλὸξ ταρτάρου σημάντρια
φόβους, Ἐρινῦς, δαίμονας τεραστίους.

58 *βελος πετηνον ταχυτατον* P, *βέλους πετηνοῦ ταχυτάτου* W H || 60—61 *δει σε γενεσθαι μη σ ατην αναγκασης ανωθεν εις ανωθεν ακουειν συμβολον* P, pro *εις ανωθεν ακ.* Wuensch prop. *αὐτῶν εἰσακ.* | *ἄνωγ' ἀκούειν μή σ' ἄτην ἀναγκάσῃς* W, *ἄνωγ' ἀκούειν, μὴ πάθη σ' ἀναγκάσῃ* H || 62 *ποιησεις* P, *πράξεις* W H | *καν θαλης* P, *κἂν θέλῃς* W H || 63 ante versum 62 pos. W | *αχριου φωτος* P, *φωτός τ' ἀχρείου* W, *φωτὸς δ' ἀχρείου* H || 65 in *εδησα α* corr. ex *ο* P || 66 *σπινγι* P, *στυγνῇ τ'* W H || 67 *ου γεινεται αυριον ει μη γενηται ο βουλομαι* P, *οὐκ αὔριον γένηται νῦν ὃ βούλομαι* W, non rest. H || 68 *θεων* P W (*μάγων* H) || 69 *τηνδε την* P, *τήνδε* W H | *σ η μην εχω* P, *ἦ μήν σ' ἔχω* W H, *φήμην* coni. Wuensch || 70 in *θεωρουμενη* corr. *θεω-* ex *θου-* P || 71 *ειτα καγω σε* P, *κἀγὼ εἶτα σέ* W, *κἀγὼ ἔπεισά σε* H || 72 *σημειον ερω* P, *σημεῖον αἴρω* W H, *ἐρῶ σημεῖον* Dieterich || 74 *σιδηροὺς* P W H Dieterich | *κυων κυανεος* P W, *κύων ⟨ὁ⟩ κυάνεος* H, *κύων κυανόχροος* Dieterich || 75 *εσχαρα*, littera quarta incerta P || 77 *φοβουσα* P, *φοβοῦσ'* W H Dieterich | *ερινυς* P, *Ἐριννῦς* W H Dieterich | *δαιμονας τ εραστιους* P, *δαιμονάς τ' ἐραστίους* W H, *δαίμονάς τ' ἐπαιτίους* Dieterich.

εἰσῆλθας, ἥκεις, ὀργίσθητι, παρθένε,
τῷ δεῖνα, ἐχθρῷ τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν
Ἡλίου Ὀσίριδος συνεύνου τ' Ἴσιδος,
οἷον λέγω σοι, εἴςβαλ' εἰς τοῦτον κακόν,
ὅτι οἶδά σου τὰ καλὰ καὶ μεγάλα, κόρη,
ὀνόματα σεμνά, οἷς φωτίζετ' οὐρανός,
καὶ γαῖα πίνει τὴν δρόσον καὶ κυοφορεῖ,
ἐξ ὧν ὁ κόσμος αὔξεται καὶ λείπεται.

78 *εισηλθας* P W, *εἰσῆλθες* H | *ηκεις οργισθητι παρθενε* P W (*ὀργίσθητι, ⟨σεμνὴ?⟩ παρθένε* H) || 79 *δινα εχθρω* P, *δεῖνα, ἐχθρῷ* W, *δεῖν' ἄτ' ἐχθρῷ* H || 80 *ηλιου οσιριδος και συνευνου ισιδος* P, *Ὀσίριδός τε καὶ συνεύνου Ἴσιδος* W, del. H || 81 *οιον λεγω σοι εισβαλε εις τουτον κακον, οἷον λ. σ. εἴσβαλ' εἰς τ. κ.* W, *δεινοῖς λέγω σοι τοῦτον εἰσβαλεῖν κακοῖς* H || 82—85 non rest. W H || 82 *σα τα* P || 83 *φωτιζεται* P || 84 *κοιοφορ* P, *κυοφορεῖ* Kroll || 85 *αυξεται τε* P.

vs. 1. *ἱερὸν]* vocis *ἱερὸς* sunt duae stirpes, quae quidem specie non differunt: altera est eadem atque verbi *ἵεσθαι*, quod principio a Ϝ incipiebat (cf. L. Meyer, Bezzenbergers Beitr. I 301 sq.) et habet *ῑ* longam; alterius stirpis, quae principio Ϝ non habebat, vocalis *ι* brevis est (cf. E. Maass, Indogerm. Forsch. I 159 sq.). Itaque in poesi *ῑ* vocis *ἱερός* modo brevis — sic semper apud poetas atticos — modo longa est. In huius hymni magici tribus locis, quibus *ἱερός* invenitur (vs. 1, 2, 4), syllaba prima eius vocis est longa.

ταρταροῦχε] identidem Hecata sic appellatur nomine non adiecto; epitheton repetitur in hymni versu 64: *ταρταροῦχε παρθένε* et 73: *τῆς ταρταρούχου στέμμα.*

φωτοπλήξ] vocabulum alicunde ignotum; omnino in papyro complura verba nova eaque vocabulo *φῶς* ficta inveniuntur: *φωτοκράτωρ* vs. 595; *φωτοδώτης* 595; *φωτοκινητής* 598. Compositum est *φωτοπλήξ* ex *φῶς* et syllaba *-πληξ*, quae a verbo *πλήτ-*

τειν deducitur et in illo vocabulo activam significationem habet, ut in ὑσπλήξ, βουπλήξ aliis, ut φωτοπλήξ idem valere possit ac φωτοκινητής. Sed verisimilius est illud adiectivum significare ‘lunae ictu feriens’; nam σεληνόβλητοι i. e. homines lunae ictu iacti commemorantur; cf. Macrob. Sat. I 17, 11: ‘quia similes sunt solis effectibus effectus lunae in iuvando nocendoque. ideo feminas certis afflictas morbis σεληνοβλήτους et Ἀρτεμιδοβλήτους vocant’.

vs. 2. ἱερὰ αὐγή] Herwerden, qui hiatum duplicem (ἱερὰ | αὐγή | ἐκ) tollere vult, scribit ἱεραυγές. Neque vero id necessarium est; nam hic hiatus excusatur caesura, praesertim cum etiam sententia intermittatur. Quod vero ad illum attinet, observandum est ἱερά vocis syllabam primam aeque atque in versu 1 longam esse et vocabula ἱερὰ et αὐγή eo modo coniungi, ut vocalis α ante diphthongum αυ corripiatur.

εἰλημμένη] pap.; Wessely, quem Herwerden secutus est, coniecit ἐνημμένη i. e. ‘incensa’. Quamquam ἐνημμένη facilius ad intellegendum esse concedendum est (cf. II Cor. IV 6: ὁ θεὸς ὁ εἰπών· Ἐκ σκότους φῶς λάμψει), tamen papyri lectio ἐκ σκότους εἰλημμένη defendi potest; σκότος enim hic sunt tenebrae χάους ut Gen. I 4: καὶ διεχώρισεν ὁ θεὸς ἀνὰ μέσον τοῦ φωτὸς καὶ ἀνὰ μέσον τοῦ σκότους, quae opinio etiam apud Graecos reperitur (cf. Hes. Theog. 124 sq.: Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρα ἐξεγένοντο, | οὓς τέκε κυσαμένη Ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα), et εἰλημμένη significat ‘deprompta’; neque ἐκ σκότους εἰλημμένη multum abest ab hoc: ἀπὸ τοῦ σκότους κεχωρισμένη, quod legitur pap. vs. 473 sq.: ἐπικαλοῦμαί σε τὸν κτίσαντα γῆν . . . ὁ χωρίσας τὸ φῶς ἀπὸ τοῦ σκότους.

vs. 3. ἀναστατοῦσα] h. e. ἀνάστατα ποιοῦσα i. e. ‘(omnia)

miscens ac turbans'; qua ratione id fiat, ex vs. 50 usque ad 56 cognosces.

ἀστόχοις] papyrus habet *αστοιχοις*, quod neque ad metrum neque ad sensum quadrat; dea enim inconsiderate facit, *ἂν μὴ μαγείης . . . ἀναγκάσῃ βέλος . . . τέλος δραμεῖν* (vs. 57 sq.); verba igitur *βουλαῖς ἀστόχοις* vice enuntiati condicionalis ('si imprudentia consilia capis') funguntur.

vs. 4. *καλέσω]* Wessely et Herwerden eo offenduntur, quod futurum tempus positum est, cum praesens exspectetur, et quod obiectum verbi *καλεῖν* deest et quod huius versus pes alter est spondeus. Itaque viri docti scripserunt hic: *καλῶ σ'*, ille *κλῄζω σ'*. Sed iniuria verba tradita mutaverunt. Nam quod ad metrum spectat, in hac poesi spondeus dactylus anapaestus etiam sedibus paribus reperitur (cf. infra de re metr.), id quod ab aliis poetis rarissime admittitur — unus locus mihi praesto est: Kaibel, Com. gr. frg. I 1 p. 186: *Ἱππώνακτος τὸ μέτρον — οὐδέν μοι μέλει.* — *σέ* hic omissum per se ipsum intellegitur; futurum autem eum in modum explanari potest, ut sumamus hac forma deam ipsam nondum vocari, sed verbo *καλέσω* aeque atque vocibus *κἀκούσῃ μου τῶν ἱερῶν λόγων* sequentem invocationem indicari. Confirmatur vero futurum verbis sequentibus, quippe quae et ipsa futura sint: *ἀκούσῃ* (vs. 4), *ποιήσεις* (vs. 11, 16).

κἀκούσῃ] Et hoc vocabulum illi viri docti mutaverunt: Wessely enim pro futuro ponit coniunctivum aoristi *ἀκούσῃς*, Herwerden imperativum aoristi *ἄκουσον*. Neque vero uterque intellexit et in hoc versu et 11 et 16 futuro exprimi acerrimo modo iussum; cf. F. M. Stahl, 'Krit. hist. Syntax des griech. Verbums der klass. Zeit' 1907 p. 359; exempli gratia afferam Aristoph. Nub. 1352: *χρὴ δὴ λέγειν πρὸς τὸν χορόν· πάντως δὲ τοῦτο δράσεις.* Itidem in hymno futu-

rum adhibetur: dea enim a mago non suppliciter imploratur, sed cogitur illi obsequi. Atque hic de iusso, non precibus agi optime stabilitur genetivo absoluto sequentis versus; sententia est igitur haec: 'tibi verba mea audienda sunt; nam dira Necessitas te cogit'.

μου τῶν ἱερῶν λόγων] non solum altera, sed etiam quarta sede huius versus spondeum reperimus. Quamquam in hoc versu tres spondei se excipiunt, tamen illum attingere non audeo, cum id in hoc carmine saepius reperiatur; cf. vs. 15, 56, 62. — *ἱερῶν*: ut magia est sancta (vs. 160: *ἱερὰ μαγεία*; pap. Berol. I 127: *ἱερᾶς μαγείας*; vid. infra adn. ad vs. 28), ita hymni saepius *ἱεροὶ* dicuntur (vs. 1974; 2788; pap. Berol. I 317; 322). Scite adnotat A. Abt. l. c. p. 117 epitheton *ἱερός* indicare hymnis aliquid divinum inesse, quod preces expletas iam significat.

vs. 5. Finis huius versus in papyro sic traditur: *παντοτε σοι υπεστρωμενης*, quod metri causa ferri non potest; hoc quidem vocibus transpositis sanari potest hoc modo: *σοι πάντοθ' ὑπεστρωμένης*. Nec vero haec verba sententiae accommodata sunt; nam *Ἀνάγκη* in rebus magicis est summa regina rerum omnium, cuius imperio dei ipsi subacti sunt; cf. R. Wünsch, Seth. Verfl. Taf. p. 94; velut legitur pap. mus. Brit. CXXIII 9: *φίμωσον τὴν ψυχὴν τὸν θυμόν, ὅτι ἐξορκίζω σε κατὰ τῆς φρικτῆς ἀνάγκης* vel CXXI 310: *ἐξορκίζω σε, ὄστρακε, κατὰ τῆς πικρᾶς ἀνάγκης*. Cum *Σελήνη* quoque huic deae subditicia sit, in versu 5 hanc condicionem exprimi exspectatur. At verba tradita rem contrariam indicant; itaque suo iure Wessely illa sic correxit: *πάντοθ' ὑπερεστρωμένης*. Quem sensum huic versui inesse oportere sequitur ex versibus 11, 16, 38, 39, 59/60.

vs. 6. *δεθεῖσα τρὶς]* sc. *τοῖς ἱεροῖς λόγοις* (vs. 4); nu-

merus ternarius est sanctus; cf. H. Diels, 'Sibyllin. Blätter' 1890, p. 40 sq. Sed quid haec verba sibi velint, obscurum.

λύθητι, ἐλθὲ] Herwerden vituperat hiatum; at is est legitimus, quia a caesura excusationem habet. In hoc versu preces incantantis dicuntur: *βρίμασον τὸν δεῖνα. βριμάζειν* Hesychius et Suidas s. v. *βριμάζων* sic interpretantur: *τῇ τοῦ λέοντος χρᾶσθαι φωνῇ*; est igitur *βριμάζειν* inter verba *ὀνοματοποιητικά* ut *αἰάζω, βαΰζω, γρύζω, εὐάζω* al., atque principio 'rugitum et fremitum' ferarum significat, qui vehementissimae saevitiae est. Hymni loco *βρίμασον* proprio significatu est, quoniam *Σελήνη* vel *Ἑκάτη* et *λέαινα* et *ταῦρος* appellabatur; cf. vs. 40/1 et adn.; vertendus est imperativus fortasse: 'saevi in' *τὸν δεῖνα.*

vs. 7. *τὸν δεῖνα* hoc loco retinere non dubito, cum nihil offensionis habeat; cf. supra p. 65. Sequentia in papyro verba falso seiuncta sunt: *λιναν ευσον*; videlicet scribendum est *λίνα νεῦσον.* Locutio *λίνα* sive *μίτον (ἐπι)κλώθειν* saepe in epigrammatis sepulchrorum invenitur; cf. Kaibel ep. gr. 478, 1: *Τίς μοιρῶν μίτον ὔμμιν ἐκλώσατο, παῖδες, ἄωρον;* 127, 7: *μοιρῶν γὰρ ἄνισος τοῦτ' ἐπέκλωσε μίτος*; 144, 5; 583, 2; cf. etiam infra vs. 56.

Wessely pro verbis traditis scribit: *Κλωθὼ σοὶ δ' ἐπικλώσει λίνα*; sed merito ac iure Herwerden illa retinet; nam sententia est haec: 'exardesce in illum hominem' i. e. interfice illum; id facere potes; 'nam *Κλωθώ* tibi (*σοι,* tui ratione habita) filum nebit' i. e. Clotho fatum illius hominis eo modo, quo vis, statuet.

vs. 8. *στυγνήν]* esse iambicum Herwerden adnotat. Sed ante *γν* vocalis, quantum video, semper producitur; cf. Kühner-Blass I 1, p. 305 c. Itaque *στυγνήν* efficit spondeum, qui quidem in quarto pede

nostri carminis permittitur; cf. vs. 4. Figura, quae *πρόληψις* dicitur, digna est, quae adnotetur: *στυγνήν* enim posuit pro: *ὥστε σέ μοι στυγνὴν γενέσθαι*; alia exempla vid. Kühner-Gerth II 1, 276.

καταλαμβάνω] hic valet 'cogere' ut Plat. *νομ.* VII p. 823 a: *τὰ ταῖς ζημίαις ὑπὸ νόμων κατειλημμένα.* Qua re magus deam cogere velit, apparet: *τῇ ἱερᾷ μαγείᾳ*; cf. vs. 57/8: *μαγείης τῆς ἐμῆς βέλος.* Sed simplicius videtur illud verbum eo modo interpretari, ut *καταλαμβάνειν* sit 'animadvertere', quam significationem id saepius in posteriore graecitate habet (cf. Pol. VIII 2, 6: *πῶς δὲ τῆς ἁπάντων ἡγεμονίας καθίκοντο ... δυσχερὲς καταλαμβάνειν*), ita ut vs. 8 pars posterior valeat hoc: 'priusquam animadvertam te adversantem (esse).'

vs. 9. Ad hunc versum Herwerden adnotat: '*κακοζήλως* poetaster gladium vocavit „ensis pugnos".' Locutio autem *ξιφήρεις κονδύλους ἀναλαμβάνειν* potest explicari hoc modo: *κονδύλους* significat 'pugnos' ut Plut. mor. p. 483 C: *ὁ Πολυδεύκης τὸν καταψιθυρίζοντα τἀδελφοῦ πρὸς αὐτὸν κονδύλῳ παίσας ἀπέκτεινεν.* — *Ἀναλαμβάνειν* dicitur de armis capiendis ut Her. IX 53: *ἀναλαβόντες τὰ ὅπλα.* Cum in hoc versu pugnus ense armatus putetur telum et vis posita sit in adiectivo *ξιφήρεις*, dici potest *κονδύλους ἀναλαμβάνειν.* Hic igitur figura, quae 'contaminatio' appellatur, sententiae coniunctae sunt hae: *ξίφη ἀναλαμβάνειν* et *χεῖρας συνκλείειν εἰς κονδύλους*; quae tam arte cohaerent, ut in unum confluxerint.

vs. 10. *πρὶν ἠδὲ λυσσῆς]* coniectura Herwerdeni *ποινή τε λυσσῆς* inutilis est; nam ad coniunctionem, qua ultimum membrum polysyndeti introducitur, *ἠδέ* tali modo adseritur, v. c. Il. *B* 348: *πρὶν Ἄργοσδ' ἰέναι, πρὶν καὶ Διὸς αἰγιόχοιο | γνώμεναι.* Altius deliberandum est, utrum lectio papyri an coniectura

Krollii *βδελύσσης* praeferenda sit. *λυσσῆς* derivandum est a verbo *λυσσέω*, quod uno loco reperitur; Hesychius enim *λυττέω* explicat: *πολλὰ λαλεῖ*. Quod ut *λυσσῆς* in hymno significet, fieri non potest: immo *λυσσέω*, si *λυσσης* in hymni versu integrum est, idem valere atque *λυσσάω* putandum est. Inter *λυσσέω* autem et *λυσσάω* eadem ratio intercedit quae inter *φυσέω* et *φυσάω*, inter *εἰρωτέω* et *ἐρωτάω*. *λυσσάω* vero egregie in conexum quadrat; magus enim deam se coacturum esse minatur, qua re illa rabie capietur. Praeterea *λυσσάω* bene congruit cum sequenti vocabulo *κύων*; nam *λυσσάω* proprie dicitur de rabiosis canibus, de quibus vocabula *λυσσάω*, *λύσσα*, *λυσσητήρ* sim. ad homines transferuntur; cf. Il. Θ 299: *τοῦτον δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα*.

ἰσοπάρθενος] sic correxit Wessely; papyrus exhibet *ισου παρθενος*, quod absurdum est; *ἰσοπάρθενος* quidem alioquin non reperitur, tamen recte ad analogiam adiectivi *ἰσόπαις* (Aesch. Ag. 75) fictum est.

κύων] pap.; Wessely scribit *κύον*. Etsi haec usitatior forma vocativi est et in papyro litterae *ω* et *ο* saepe confunduntur, tamen non est, cur mutetur *κύων*, qui vocativus vs. 1432 legitur: *εἰνοδία κύων μέλαινα*. — Appellatio *ἰσοπάρθενος κύων* bene illustratur pap. vs. 2878 sq.: *λαβὼν λίθον σιδηρῖτιν, ἐν ᾧ ἐνγεγλύφθω Ἑκάτη τριπρόσωπος, καὶ τὸ μὲν μέσον πρόσωπον ἤτω κερασφόρου παρθένου, τὸ δὲ εὐώνυμον κυνός, τὸ δὲ ἀπὸ δεξιῶν αἰγός*.

vs. 11. *ποιήσεις]* cur Wessely et Herwerden hic et in versu 39 et 61 commutaverint non intellego. nam *ποιήσεις* est huius prosodiae: ◡ – – (cf. hymn. Ven. vs. 1 supra p. 60) et ut spondeum altera sede in hac poesi permitti versu 4 vidimus, sic hoc loco anapaestus nihil offendit, praesertim cum anapaestus iam apud Aristophanem loco altero reperiatur;

cf. Lys. 762: *ὦ δαιμόνιαι παύσασθε.* *ποιήσεις* mutare haudquaquam licere demonstrant vs. 38, 39, 62, quibus forma *ποιεῖν* legitur.

vs. 12. *ὅτι οἶδα]* Wessely scribit: *τὰ φῶτ' ἀείδω σου*, quam lectionem Herwerden iure repudiat; immo vocabula tradita sunt integra; enuntiatum enim, quod incipit a particula *ὅτι* (i. e. quia), artius coniungendum est cum *νεῦσον* (vs. 8) ut in hymno magico Solis pap. vs. 945: *νεῦσον ἐμοί, λίτομαι, ὅτι σύμβολα μυστικὰ φράζω.* Herwerden quidem hiatus tollendi causa — ut opinor — pro *ὅτι* ponit *ὡς*. At hiatus inter *τί* sive *ὅτι* et longam vocalem sequentem, si syllaba est in arsi, saepius permittitur; cf. Aesch. Sept. 208: *τί οὖν;* vel Aristoph. Eq. 101: *ὡς εὐτυχῶς ὅ τ ι οὐκ ἐλήφθην κτέ.*

Verbis *σου τὰ φῶτα* significantur duodetriginta lumina Lunae, quod sequitur ex papyro Leid. W XVII 30: *πρὸς τὰ κη' φῶτα τῆς Σελήνης* et pap. Leid. V VIII 7; cf. etiam Plut. de Is. et Os. 42: *ἐτῶν δ' ἀριθμὸν οἱ μὲν βιῶσαι τὸν Ὄσιριν οἱ δὲ βασιλεῦσαι λέγουσιν ὀ κ τ ὼ καὶ ε ἴ κ ο σ ι· τοσαῦτα γάρ ἐστι φ ῶ τ α τ ῆ ς σ ε λ ή ν η ς καὶ τοιαύταις ἡμέραις τὸν αὑτῆς κύκλον ἐξελίσσει.* Plura invenies de his luminibus Lunae in R. Reitzensteinii Poimandre p. 263 sq.

πρὸς στιγμῆς μέτρον] si pro papyri *προστιγμης μετρον* recte a Wesseleio *πρὸς στιγμῆς μέτρον* coniectum est, *στιγμή* hic significat 'minimum, levissimum'; cf. Phot. lex. (ed. S. A. Naber p. 177): *στιγμήν· ὡς ἡμεῖς, τὸ ἐ λ ά χ ι σ τ ο ν.* *οὕτως Μένανδρος* et Dem. XXI 115: *ἆρ' ἄν, εἴ γ' εἶχε σ τ ι γ μ ὴ ν ἢ σκιὰν τούτων, ὧν κατεσκεύαζεν κατ' ἐμοῦ, ταῦτ' ἂν εἴασεν.* Haec vis vocis *στιγμή* confirmatur vocabulo *μέτρον*, quod non raro in circumscriptionibus adhibetur ut in elocutionibus *μέτρον σοφίας* (Sol. fr. 12, 52 [Anth. lyr. ed. Hiller-Crusius]) i. e. 'iustus modus sapientiae, summa sa-

pientia', *μέτρον ἥβης* (Eur. Ion 354) al. Itidem valet *πρὸς στιγμῆς μέτρον* 'adusque modum puncti, i. e. 'adusque minimum' sive 'accuratissime'.

vs. 14. *ἐπόπτης τ' εἰμί]* in papyro legitur *υποτρειμι* corruptum. Wessely restituit *ὑπουργός εἰμι*, Kroll *ἐπόπτρι' εἰμί*. Neque haec neque illa coniectura comprobari potest; immo scribendum est *ἐπόπτης εἰμί*. Certum est enim subesse copulam *εἰμί*, quam ad *μυσταγωγός* et *συνίστωρ* addi exspectatur; quod restat, nil nisi reliquiae substantivi esse possunt, quod particula *καί* cum sequenti *συνίστωρ* coniungitur. Qui quaerit, quod fuerit hoc substantivum, monendus est verba *μυσταγωγός* et *συνίστωρ* esse sermonis mystici. Itaque eiusdem condicionis esse vocabulum mutilatum in initio versus oportet neque dubium est, quin Kroll scribens *ἐπόπτρι'* rectam viam ingressus sit. Sed masculino genere, non feminino substantivi hic opus est, cum magum, non sagam hymnum cantare ex versus 46 verbis *ὡς μάγων ἀρχηγέτης Ἑρμῆς ὁ πρέσβυς Ἴσιδος πατὴρ ἐγώ* elucet. Verisimiliter praeterea post *ἐπόπτης* inserendum est *τ'*; nam saepe alterum membrum polysyndeti cum primo particula *τε*, cum tertio particula *καί* coniungitur: cf. Il. *Γ* 396/7: *θεᾶς περικαλλέα δειρὴν | στήθεά θ' ἱμερόεντα καὶ ὄμματα μαρμαίροντα.*

vs. 15. *ὃ δεῖ γενέσθαι].* Confirmatur coniectura Wesseliana, quae haec e papyri *το διγενεστε* restituit, verbis vs. 60, *ὃ δεῖ [σε] γενέσθαι κτλ.*; vid. infra ad versum 60.

ἔξεστιν] pap. *εξεστι*; metri restituendi causa *ν* paragogicum adiungendum est: ceteris in rebus versus integer est. Wessely et Herwerden, dum tradita mutant, spondeum pedis quarti tollere volunt, id quod non necessarium est; cf. supra adn. ad vs. 4.

vs. 16. Huius versus initium sic traditur: *τον Δ*

αποισεις, quod verbum Herwerden futurum tempus verbi *ἀποφέρειν* esse ratus in *ἀπολέσεις* mutare vult. Sed hic vir doctus errat. Nam si *ἀποίσεις* integrum esset, *ἀπολέσεις* coniectura inutilis esset, cum *ἀποφέρειν* idem ('auferre, perdere') valeat. At *ἀποίσεις* depravatum est. Monendum est enim hunc versum duobus litteris exceptis plane cum versibus 11 et 61 congruere. Huc accedit, quod discrepantiae compendio adhibito pro voce facillime explicari possunt: principio enim verisimile est scriptum fuisse *ΤΟ ΔΕΙΝΑ ΠΟΙΗΣΕΙΣ*, quod pro *δεινα* compendio Δ posito, verbis falso seiunctis (*ΔΕΙΝ* | *ΑΠΟΙ* pro *ΔΕΙΝΑ* | *ΠΟΙ*), addito *Ν* in *ΤΟΝ* Δ *ΑΠΟΙΣΕΙΣ* corruptum est. Itaque illas litteras mutare, *τὸ δεῖνα ποιήσεις* scribere non dubito.

vs. 17. *ἐνεύχομαι]* gravius quam *εὔχομαι*, idem fere atque *ὁρκίζω* significat; cf. pap. Louvre 147: *ἐνεύχομαί σοι κατὰ τοῦ Ἰάω θεοῦ.*

κυρία νὺξ] i. e. 'nox, quae effectum dat'; cur nox *κυρία* sit, ex sequentibus enuntiatis relativis, quae a verbis *ἐν ᾗ* incipiunt, apparet; hae sunt igitur enuntiationes relativae causales (cf. de his Kühner-Gehrt II 2, p. 421 sq.).

vs. 18. *φῶς ὕστατον]* in versu 12 commemorantur *τὰ κη' φῶτα τῆς Σελήνης*, in hac *τὸ ὕστατον φῶς*; itaque Herwerden recte adnotat: 'fit incantatio ultimo die mensis naturalis'.

χωρίζεται] hic significat 'abit, discedit' ut Pol. III 94, 9: *ἀναγκασθεὶς . . . ἐπί τινας ἀπελθεῖν θυσίας εἰς τὴν Ῥώμην . . . πολλὰ χωριζόμενος ἐνετείλατο.*

vs. 19. Quam ad rem hic versus referendus sit, dubium: fortasse in hoc *κύων* singularis numerus est pro plurali (de hac re vid. Kühner-Gerth II 1, p. 13), ut sententia sit haec: Canes totam per noctem ululant. Nam eos sentire deos appropinquantes puta-

batur; cf. P. Schwarz, 'Menschen und Tiere im Aberglauben der Griechen und Römer' 1888, p. 48. Sed verisimilius est verba vs. 19 idem significare atque versum sequentem: *στόμα Ταρτάρου* nova luna patet; cf. etiam vs. 21.

vs. 20. *ἠνέῳγε]* in papyro legitur *ηνεωχε*, quod corruptum videtur esse. Certum est *κλεῖθρον ταρτάρου* subiectum esse et verbum valere 'patet'; hanc autem significationem habet verbi et forma *ἀνέῳκται* et *ἀνέῳγε*; quae formae inveniuntur apud Phrynichum (ed. A. Lobeck p. 157): '*Ἀνέῳγεν ἡ θύρα σολοικισμός· χρὴ γὰρ λέγειν ἀνέῳκται.*' Pro *ἀνέῳγε* dici potest *ἠνέῳγε*. Mt. III 16: *καὶ ἰδοὺ ἠνεῴχθησαν οἱ οὐρανοί*, vel II Cor. II 12: *ἠνέῳγμαι*; vid. H. Reinhold, 'de graecitate patrum apostolicorum librorumque apocryphorum novi testamenti quaestiones grammaticae', Diss. phil. Hal. XIV (1901) p. 69. Sed falsum est in hymni versu *ἠνέῳχε*: nam *ἠνέῳχα* perf. I significationem habet transitivam et apud alios scriptores et in papyro. Itaque hic, etsi Herwerden formam *ἠνέῳχε* retinet, formam intransitivam *ἠνέῳγε* pro *ἠνέῳχε* forma transitiva reponenda est.

Hac nocte portae Orci patent; ut Luna, quae de caelo *χωρίζεται*, in illum invehi possit; aliis Hecata vel Proserpina portas clausas habet; cf. Apul. Met. XI 2: 'Proserpina triformi facie larvales impetus comprimens terraeque claustra cohibens.'

vs. 21. *προλυσσᾷ]* verbum adhuc ignotum, aut eo modo intellegendum est, ut *προλυσσᾶν* valeat '*πρὸ Ταρτάρου λυσσᾶν*' aut *προ-* ad simplex vocabulum additum est ad id confirmandum, ut in *προπάλαι*, *προβαθύς*, *προβοᾶν* al., ut *προλυσσᾶν* significet 'magna voce latrare'.

vs. 22. *ἔγειρε]* in cultu Orphicorum *ἔγειρε* voce mystae deum e somno excitant (cf. Adami l. c.

p. 248 sq.) et in papyris magicis saepius *νεκυδαίμονες* dormientes voce *ἔγειρε σεαυτόν* suscitantur; cf. vs. 369 sq.: *ἔγειρον μόνον σεαυτὸν ἀπὸ τῆς ἐχούσης σε ἀναπαύσεως*.

σεαυτήν] observandum est in hoc versu rursus altero loco reperiri anapaestum, quem Herwerden sustulit scribens *σαυτήν*; neque vero commuto: cf. adn. ad versum 11.

τροφοῦ] pap. *τροπου*, quod sensu cassum est. Facile *τροπου* mutari potest in *τροφοῦ*, quod Kroll proponit. Wesselii vero coniectura *τρόπον* explicatur non nisi eum in modum, ut *τρόπον* pro adverbio positum significet 'more, ritu alicuius' ut 1. Clem. 39, 5: *σητὸς τρόπον*. Ceterum coniecturae Wesselianae repugnant primum *ἡλιωτίδος*, quod cum sit adiectivum significans 'solarius, a, um' (cf. vs. 45: *ἡλιωτίδος βολῆς* et Soph. Trach. 697: *ἀκτῖν' ἐς ἡλιῶτιν*), indiget genetivo substantivi feminini generis, ad quem *ἡλιωτίδος* spectat, tum *χρήζουσα*, quod si Wesselii coniecturam comprobes, explicare non possis; *χρήζουσα* voci enim opus est genetivo, i. e. scribendum est: *ἡλιωτίδος τροφοῦ χρήζουσα*, quod egregie convenit sensui, qui est hic: 'Luna, cui opus est nutrice solaria'.

vs. 23. *τροπου* in *τροφοῦ* correcto Herwerdeni coniectura *χρήζουσι* pro *χρήζουσα* inutilis est.

Μήνη] *μήνην* pap., quem accusativum proscribit grammatica. Littera *ν* ad *Μήνη* falso videtur addita esse ob sequentem vocem ab eadem littera incipientem.

νερτέρων ἐπίσκοπε] cf. vs. 55, in quo *Κρόνος* sic appellatur.

vs. 24. In papyro ordo verborum est hic: *ἐνεύχομαί σοι ξένη δ' αὐγὴ παρθένε*; quo metrum turbatum est. Itaque coniecerunt Wessely *ξεινοδηγέ*, Herwerden *ξειναγωγέ*. Praeterquam quod ille verbum

novum finxit, hae coniecturae ea re parum probabiles sunt, quod verba ipsa mutantur, id quod non necessarium est; immo versus verbis transpositis sanari potest hoc modo: *ἐνεύχομαι δ' αὐγὴ ξένη σοι, παρθένε.* Hic caesura post pedem tertium mira est, sed conferas Aesch. Pers. 251: *ὡς ἐν μιᾷ πληγῇ || κατέφθαρται πολύς.* Fortasse autem scribendum est: *ἐνεύχομαί σοι, ξείνης αὐγῆς παρθένε,* quod Wuenschius proponit.

vs. 25. Finis huius versus in papyro sic traditur: *δαιδαλη και πιθοη,* quod Wessely restituit ita: *δαιδάλη καὶ πειθόη.* Neque vero huic viro docto assentire possum; nam primum adiectivi *δαίδαλος* deest forma feminini generis, ut vocativum exspectes *δαίδαλε,* non *δαιδάλη.* Sed id minoris momenti est, cum, si non adiectivum, tamen substantivum *Δαιδάλη* exstet (cf. Etym. Magn. 250 s. v. *Δαίδαλος*). Plus valet, quod forma *Πειθόη,* quam esse eandem atque *Πειθώ* — cum hac enim Luna interdum confunditur; cf. vs. 2547 — existimare Wessely videtur, mirissime ficta est. Certa videntur adiectiva *δαίδαλ(ε)* et *θοή*; porro ex verbis, quae inter illa sunt, erui potest imperativus *ἧκ(ε).* Ex litteris restantibus *ΑΙΠΙ* levissima mutatione restituitur *ΑΚΤΙ,* quae forma vocativi iam saepius in hymnis magicis invenitur; cf. supra hym. Sol. vs. 2 et 25. *ἀκτί* vero bene convenit, quod et ad metrum et ad sensum attinet: syllaba ultima enim longa est; cf. Herodian. II 471, 34 (Lentz) *ἀκτίς· διὰ τοῦ ῑ μακροῦ ὡς δικατάληκτον.* Praeterea *δαίδαλε* et *θοή* aptissima epitheta vocis *ἀκτί* esse nemo negare poterit; cf. Pind. Pyth. XI 48: *θοὰν ἀκτῖνα* et pap. vs. 2278: *τὴν καλλωπισμένην* (pap. *καλλισμενην*) *ἀκτῖνα.* Nescio autem, an scribendum sit *Ἀκτιθόη,* quod conferri licet cum illis verbis mire compositis, quae multa invenias in papyro; cf. vs. 181 sq.

Post versum 25 in papyro sequuntur appella-

tiones deae, quae tantopere cumulantur, ut earum numerus appellationem aliorum deorum, qui hymnis cantantur, superet. Epitheta ipsa sunt, quod ad formam attinet, partim substantiva partim adiectiva; quod ad vim spectat, eis partim natura et potestas deae celebratur, partim loca indicantur, in quibus dea aut maxime colebatur aut unde arcessebatur (cf. C. Ausfeld, 'de Graecorum precationibus quaestiones' in: Jb. f. Philol. Suppl. XXVIII 521/2); ut nonnullis exemplis utar, ad deam lunae pertinent vocabula *χρυσοστεφή*, *λιπαροπλόκαμε*, *Μήνη* al., ad deam inferorum *πορφυρέη*, *οὐλοή* al., ad deam magicam *εἰδωλίη (ειδωνη* P*)*, *ἰνδαλίμη*, *στρατηλάτι* al., ad loca *Δωδωναίη (δωδωνιη* P*)*, *Θασία*, *Θηβαία* al., ad rationes, quae inter Hecatam et alios deos (sive deas) intercedunt, *Βριμώ*, *Περσία*, *Κλωθαίη*, *Θαλία* al. Quod ex his Wessely versus non constituit, recte fecit. Nam etsi Herwerden nonnullis locis illud tentavit, tamen ut ex tota parte versus restituantur, fieri non potest; immo in hoc loco aeque atque aliis locis papyri (cf. praef. p. 15 sq.) non versus insunt, sed oratio numerosa. Primum enim verba tradita, si versus eruere coneris, vehementissime violantur, id quod fieri non licet; tum versus restituti tantopere a ceteris hymni differunt, ut iam ex eo sequatur hanc partem postea in carmen insertam esse. Id etiam ex versibus 25 et 26 cognosci potest, qui — si illum versum recte tractavi — arte inter se cohaerent; nam ultimis verbis vs. 25 appellatur *Σελήνη*, dea lunae — non *Ἑκάτη* aut *Περσεφόνη* — *(δαίδαλ' ἠκ' ἀκτὶ θοή)*; idem fit primo vocabulo vs. 26 *(ἀκτινοχαῖτι)*; praeterea verba *ἐνεύχομαί σοι* (vs. 25) et *οἶδα* (vs. 28) artissime particula *τέ* (vs. 27) coniunguntur, quae illa parte inserta sensu caret.

vs. 26. *ἀκτινοχαῖτι]* novum vocabulum compositumque ex substantivis *ἀκτίς* et *χαίτη*; hoc quidem

epitheton bene Lunae convenit, quia radii lucis putabantur capilli deae; cf. Roscher, Myth. Lex. s. v. Helios col. 2003. — Hiatus tollendi causa Herwerden scribit *ἀκτινοχαῖτις*, id quod non necessarium, cum hiatum caesura excusari supra p. 87 viderimus.

ἰοχέαιρα] huius vocis syllaba prima ubique longa est excepto uno loco Pind. Pyth. II 9: *ἐπὶ γὰρ ἰοχέαιρα παρθένος*: quo modo *ἰοχέαιρα* in hymno magico metiendum sit, dubium est: aut usitata prosodia huius vocis accepta alter iambus posteriore loco habet anapaestum (de anapaesto quarta sede posito cf. supra p. 92,3) aut si *ἰοχέαιρα* aeque atque loco Pindarico metiris, iambus est hic: ◡ ◡ ◡ ◡ —, id quod verisimilius est.

vs. 27. Hic versus in papyro plane integer a Weselio et Herwerdeno in peius mutatus est. Monendum est enim totum enuntiatum pendere ab *οἶδα* verbo sequentis versus et *τε μουσαν* sic dirimendum esse: *τέ μοι οὖσαν*: videlicet *μοι* et *οὖσαν* crasi coniungenda sunt. Sed digna est, quae respiciatur, coniectura Wesseliana *δόλου τεμοῦσα*: cum enim exspectetur synonymon substantivi *σωτηρίην*. alii fortasse *δόλου τεμοῦσαν* (h. e. 'omnes insidias dissecantem') praeferent. Ego vero *δολου* traditum non commuto.

vs. 28. Cur Wessely hunc versum omiserit, intellegere non possum, praesertim cum, quod ad metrum et sensum pertinet, nihil offendat.

ἦ] saepe in initio versus invenitur; cf. Il. *A* 78: *ἦ γὰρ ὀίομαι*.

πάντων μάγων ἀρχηγέτης] magia a deis proficiscitur: *Ἑρμῆς* ipse *πάντων μάγων ἀρχηγέτης* putabatur; de Mercurio deo magiae cf. A. Abt. l. c. p. 193, ubi testimonia conferuntur.

vs. 29. *Ἑρμῆς ὁ πρέσβυς Ἴσιδος πατήρ]* magum se ipsum cum deo, cuius nomine agit, aequare osten-

dunt permultae formulae magicae incipientes a verbis: *ἐγώ εἰμι* sc. ‘qui te in potestate habet’; cf. vs. 2999 sq.: *ἐγώ εἰμι Ἑρμῆς*. — Mercurius hoc loco cum Thot deo Aegyptio confunditur; cf. Wiedemann Herodot. lib. II p. 57, 243, 498 et R. Reitzenstein ‘Poimandres’ p. 117; 118; 136, 4. *πρέσβυς* dicitur, quia Thot mundum creavisse Aegyptii putabant; cf. R. Reitzenstein ‘Zwei religionsgeschichtl. Fragen’ 1901 p. 71 sq. — Quia *Ἑρμῆς* est *μαγίας εὑρέτης*, Isis eius filia est maga. Id elucet ex Luc. Philops. c. 32, quo Pancrates a dea ipsa *ἐν ἀδύτοις ὑπογείοις* magia eruditur: vid. A. Abt. l. c.

vs. 30. In papyro leguntur haec: *ακουσον ηω φορβα· βριμω σαχμι· νεβουτοσουαληθ. τουτο γαρ σου συμβολον.* Quorum *ηω φορβα σαχμι νεβουτοσουαληθ* sunt vocabula mystica; *Βριμώ*, quae principio ipsa dea fuit, postea cum Hecata confusa est; cf. Apoll. Rhod. III 1211: *Βριμὼ κικλήσκων Ἑκάτην, ἐπαρωγὸν ἀέθλων*. Itaque *Βριμώ* in textum recipiendum, Wesselii coniectura *ἱκετῶ* parum probabilis removenda est: quod ea re in altera sede spondeus fit, nullius est momenti.

vs. 31. Herwerden verba *τοῦτο γάρ σου σύμβολον* ad praecedentes voces mysticas refert, quamquam iam Wessely recte cognoverat illa vocabula ad verba sequentia spectare. Nam et *σάνδαλον* et *κλεῖδα* esse *σύμβολα Ἑκάτης* et simulacris et testimoniis scriptorum satis superque demonstratur; vide A. Dieterich, de hym. orph. p. 43.

vs. 32. *ταρταρούχου κλεῖθρα]* papyrus praebet *ταρταρουχου κλειθρα ταρταρου*. — *ταρτάρου*, quippe quod ob antecedens vocabulum supervacaneum sit, delendum est; quaeritur autem, an ponendum sit *κλεῖθρα ταρταρούχου*, qua ratione spondeus quarti pedis tollitur. Cum vero in hoc carmine adiectivum attributum vo-

cabulo a substantivo seiungi soleat (cf. vs. 13, 28, 29, 44), *ταρταρούχου κλεῖθρα Κερβέρου* mutare non audeo. — Cum hoc versu cf. vs. 20 et adn.

vs. 33. Quia quartus pes est dactylus, Wessely et Herwerden versum sic mutaverunt: *καὶ νύκτ' ἄωρον τήνδε παρέδωκα σκότει.* Id quod non necessarium est; nam cum anapaestus et spondeus etiam in altero et quarto pede certe admittantur, non dubito dactylum quoque his sedibus retinere.

ἄωρον νύκτα] i. e. 'noctem intempestam'; cf. Alciphr. Epist. III 11 (III 47), 1: *ἦν γὰρ ἀωρία τῆς νυκτός.* Sententia huius versus est haec: 'effeci, ut Lunae lumen de caelo cederet inque Orcum inveheretur' i. e. Lunae defectum effeci.

vs. 34. *ῥόμβος* et *κύμβαλον* in talibus incantationibus saepe adhibebantur (cf. A. Abt l. c. p. 179 et 159); hoc quoque loco *ῥόμβος* rotatur, quem motum magus putat *συμπαθείᾳ* in deam transferri, ut haec adducatur eaque faciat, quae ille vult.

οὐχ ἅπτομαι] sic pap.; Herwerden scribit: *τ' ἀνθάπτομαι* illud ita refutans: 'Cur cymbala commemorantur, si nullus eorum fuit usus?' Neque vero hoc argumentum probari potest; nam adhibentur cymbala, licet in praesentia non in usu sint; agi enim supra commemoratum est hic de defectu lunae, qua in re Lunae subveniebatur eo, quod daemones, a quibus deae periculum impendebat, sonitu aeris expellere magi conabantur (cf. R. Dedo, 'de antiquorum superstitione amatoria'; diss. Gryph. 1904 p. 14 sq.). Sed hic magus minatur: *κυμβάλων οὐχ ἅπτομαι*, quem locum A. Abt l. c. p. 159 recte interpretatus est hoc modo: 'Der Magier rechnet es mit zu den grössten Zwangsmitteln, die ihm zu Gebote stehen, zu sagen: ich habe die eherne Pauke in meiner Gewalt, allein ich rühre sie nicht an, wenn du mir jetzt nicht willfährig bist.'

vs. 35. Wessely verba papyri corrupta esse ratus versum sanare conatus est hac ratione: *ἄϑρησον εἴς σε, ἡλιωτίδος χάριν*, Herwerden scribit: *ἄϑρησον εἰς Νειλῷα νάμαϑ' ὡς χάριν*. Illa vocabula sensu carent, haec longius a traditis absunt. Immo papyri verba *σε* pronomine excepto sunt integra. Nam *Νειλωῖτις*, *-ίτιδος* vocabulum, etsi alioquin ignotum est, tamen nil offensionis habet; formatum est enim primum *Νειλω-ΐς* a *Νειλῷ-ος* voce, deinde *-ῖτις* suffixum ut *ἀρϑρ-ῖτις* ab *ἄρϑρ-ον* et *πολ-ῖτις* a *πόλ-ις*. De significatione idem atque *Νειλῶτις* valere oportet, quod est epitheton Isidos: cf. Anth. Pal. app. 335, 2: *κιστοφόρος τε ϑεᾶς Νειλώτιδος Ἴσιδος ἁγνῆς*; de ratione inter magum et Isidem intercedente cf. supra p. 102 adn. ad vs. 29. — At *σε* papyri lectio depravata videtur; nam pronomine personae alterius id, quod demum in versu sequenti dicitur, praecerpitur: cf. infra adn. ad vs. 36. Itaque pro *σε* scribendum est *με*, quod a Wuenschio coniectum multo melius ad sententiam quadrat, quae est haec: 'Aspice me (sc. ut audias preces meas) Isidis gratia' (quae filia mea est, quae tu ipsa es; cf. vs. 36 et adn.) i. e. cum filia mea sis, tibi obsequendum est.

vs. 36. Structura ab editoribus non perspecta est haec: *κάτοπτρον* accusativum trahit *ἰδοῦσα* participium, *ἥν* et *σεαυτήν* pronomina a *ϑαυμάσεις* verbo pendent, ut versus sic vertendus sit: 'quam speculum conspiciens te ipsam admirans cognosces' i. e. in speculum inspiciens te ipsam Isidem esse videbis.

κάτοπτρον] in re magica interdum specula adhiberi, quae putantur posse detegere res occultas et imprimis futura praedicere R. Wuensch ('Ein Odenwälder Zauberspiegel' in: Hess. Blätt. f. Volkskunde III [1904] p. 154 sq.) et A. Abt l. l. p. 99 docuerunt.

vs. 37. Quid hic versus sibi velit, intellectu

difficile est. Si quem sensum eruere velis, verba tradita sic interpretanda sunt: 'priusquam (*ἀνάγκαις* meis omni vi magica privata) nullos nisi atros radios ex oculis emittas' i. e. loco luminis lunae obscura luces. Quamvis hoc vix intellegi possit, talia verba huic poetae imputare licet; praeterea haec interpretatio vs. 63 verbis *ἀρχείου φωτός* confirmatur; cf. adn. ad h. vs.

vs. 38 cf. vs. 15.

vs. 39. *ποιήσεις]* pap. *μοι ποιησεις*; pronomen *μοι*, quod metro obstat, tollendum est: cf. vs. 11.

vs. 40. Ad hunc et sequentem versum illustrandos cf. pap. mus. Brit. CXXI 822 sq.: *ἐπικαλοῦμαί σε πάνμορφον καὶ πολυώνυμον δικέρατον θεὰν Μήνην, ἧς τὴν μορφὴν οὐδὲ εἷς ἐπίσταται πλὴν ὁ ποιήσας τὸν σύμπαντα κόσμον Ἰάω, ὁ σχηματίσας <σε>*[1]) *εἰς τὰ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ σχήματα τοῦ κόσμου, ἵνα πᾶσαν ἰδέαν ἀποτελέσῃς καὶ πνεῦμα ἑκάστῳ ζώῳ καὶ φυτῷ νείμῃς ινευερ, ἡ ἐξ ἀφανοῦς [η] εἰς φῶς αὐξανομένη καὶ ἀπὸ φωτὸς εἰς σκότος ἀπολήγουσα . . . <οἶδα δὲ καὶ τὰ σημεῖα ἃ ἔχεις εἰς αὔξησιν ἄρχουσα ἐπιδιδόναι καὶ>*[2]) *εἰς μείωσιν ἄρχουσα ἀπολήγειν· καὶ ἔστιν· σῦς* (pap. *σου*), *βοῦς, γύψ, ταῦρος, κάνθαρος, ἱέραξ, καρκίνος, κύων, λύκος, δράκων, ἵππος, χίμαιρα, θερμοῦθις, ἄρξ* (h. e. *ἄρκτος*), *τράγος, κυνοκέφαλος, αἴλουρος, λέων, πάρδαλις, μυγαλός, [λέων], ἔλαφος, πολύμορφος παρθένος, λαμπάς, ἀστραπή, στέλμα, κηρύκιον, παῖς, κλείς· εἴρηκά σου τὰ σημεῖα καὶ τὰ σύμβολα τοῦ ὀνόματος, ἵνα μοι ἐπακούσῃς ὅτι σοι ἐπεύχομαι τῇ δεσποίνῃ τοῦ παντὸς κόσμου. ἐπάκουσόν μου, ἡ μόνιμος ἡ κραταιά.*

vs. 41. Huius versus finis excidit; lacuna sic suppleri potest: *κάρκινος, κύων* vel sim. *κύων*, quippe

---

1) addidit Reitzenstein l. c. p. 262.
2) suppl. Reitzenstein ex pap. Mimaut.

quod semper fere in talibus enumerationibus inveniatur, certum videtur. Cum praeterea et loco supra allato et in hymno *λαμπὰς ἀστραπή* symbola coniuncta sint, *κάρκινος κύων* exitum versus effecisse verisimillimum est.

vs. 42. *σκεῦος]* instrumentum magicum; cf. pap. vs. 224 sq.: *λαβὼν ἄγγος χαλκοῦν ἢ λεκάνην ἢ φιάλην οἵαν ἐὰν βούλῃ, βάλε ὕδωρ . . . κατέχων ἐπὶ τοῖς γόνασι σκεῦος, ἐπιβαλὼν ἔλαιον ὀμφάκινον καὶ σὺ αὐτὸς ἐπικύπτων ἐν τῷ σκεύει.*

παλαιόν] res antiquas in arte magica magnam vim habere putabatur ('man hielt die Verwendung der älteren Werkzeuge instinktiv für wesentlich', Gu. Kroll, Antiker Aberglaube, 1897 p. 7). Nostrates quoque clavibus hereditate acceptis vires magicas tribuunt.

κόσκινόν μου σύμβολον] mire hic *μου* positum est; nam encliticon *μου* id verbum, a quo pendet, sequi exspectatur i. e. *σύμβολον*, ut ponendum sit *σύμβολόν μου*, quod metrum vetat. Itaque Herwerden pro *μου* tradito scripsit *μοι*; nec vero id necessarium est, cum pro liberiore verborum positione in lingua Graeca enclitica saepe non cum eo verbo coniungantur, ad quod referuntur, sed cum alia voce, ad quam non spectant; cf. Kühner-Blass I 1 p. 343 adn. 7. *μου* mutare non licere demonstrant persimiles loci huius carminis vs. 49: *σύμβολόν μου πνεύματος*, ubi *μου* spectat ad *πνεύματος* et vs. 59: *μοῖράν μου λόγων*. — Quanti momenti *κόσκινον* in arte magica fuerit, ex eo elucet, quod exstabat *κοσκινομαντεία* (cf. A. Bouché-Leclercq, histoire de la divination dans l'antiquité 1879 I p. 183): hoc igitur instrumentum in vaticinando adhibebatur.

vs. 43. *ψωμὸς εἷς]* Wessely et Herwerden syllabam priorem vocis *ψωμός* accentu notant: sed cf.

Herodian. I p. 169 (ed. Lentz): *Τὰ εἰς ωμος δισύλλαβα προσηγορικὰ ἀρχόμενα ἀπὸ συμφώνου μὴ τοῦ μ, εἰ ἐπὶ οὐσίας τάττοιτο, ὀξύνεται, βωμός. εἰσὶ καὶ Βωμοὶ λόφοι Αἰτωλίας. ψωμός ζωμός, θωμός ὁ σωρός, βλωμὸς τὸ δῆγμα*: cf. ib. II p. 906. Herwerden *εἷς* cum *κόραλλος* coniungit, sed verisimilius est numerale cum *ψωμός* conexum esse; nam vs. 1395, quo iidem *ψωμοί* commemorantur, numerus adicitur: *καταλιπὼν ἀπὸ τοῦ ἄρτου, οὗ ἐσθίεις, ὀλίγον καὶ κλάσας ποίησον εἰς ἑπτὰ ψωμοὺς κτλ.*

κόραλλος] forma usitatior non *κόραλλος*, sed *κοράλλιον* deminutivum est.

vs. 44. Herwerden recte demonstrat *βοὸς* et *παρθένου* coniungenda esse: nam semper fere verbis ipsis dicitur, utrum animal, cuius aliqua pars in re magica adhibetur, masculinum an femininum sit; cf. vs. 64: *καὶ ἐξαρτήσας αὐτοῦ θριξὶ ἵππου ἄρσενος* vel vs. 2897: *θηλείας ὄνου ὀδόντα τῶν ἄνωθεν δεξιοῦ σιαγονίου*. Praeterea monendum est *παρθένου* hic adiectivum esse velut ep. gr. (Kaibel) 319, 3: *παρθένον ἧς ἀπέλυσε μίτρην* vel Luc. Philops. c. 7: *ἐλάφου δὲ θηλείας ἔτι παρθένου καὶ ἀβάτου*.

vs. 45. *Πανὸς γόνος]* *γόνον* hic idem esse atque *σπέρμα* sequitur ex versu 2997: *τὸ σὸν σπέρμα τοῦ Πανός ἐστιν σπέρμα*: similiter hac voce utitur Apollod. II 7, 6: *τὸν γόνον ὃν ἀφῆκε κατὰ τῆς γῆς* (sc. Nessus) et identidem Hippocrates (ut I p. 551 Kühn al.). Quid autem *Πανὸς γόνος* re vera fuerit, intellegitur ex pap. Leid. V XIII 5, ubi vocibus *γόνος Ἑρμοῦ* substituitur planta *ἄνηθος*. Similiter hic *Πανὸς γόνον* esse aliquam herbam putare licet, quoniam rebus, quas magus praecipiebat, quibus *πρᾶξις* gravior videretur, ab initiatis substituebantur innoxiae res; cf. Berthelot, Alch. grecq. I 2.

vs. 46. *χαμαίλυκον]* quod papyrus praebet, Wes-

sely mutavit in *χαμαιλέων*; quam ob rem is hoc fecerit, nescio. Herwerden, etsi vocem traditam retinet, tamen iniuria pro *χαμαίλυκον* scribit *χαμαίλυκος*. Apud Dioscoridem, qui, quantum video, solus hoc vocabulum (IV 61) affert, leguntur haec: *περιστερεὼν ὕπτιος, οἱ δὲ ἱερὰν βοτάνην, οἱ δὲ χαμαίλυκον, οἱ δὲ σιδηρῖτιν, οἱ δὲ κουρῖτιν*, quo loco *χαμαίλυκον* est accusativus; utrum is sit masculini an neutrius generis, ex eo loco dignosci non potest; hymni versu demonstratur vocabulum esse *τὸ χαμαίλυκον*.

νήθουσα] (proprie 'ea quae net') nomen ignotae plantae; fortasse cogitari potest de 'euonymo', cui apud nos est nomen 'Spindelbaum'. Wessely scribit *ἀνθοῦσα*, quod cum *χαμαιλέων* coniungit. Sed Herwerden ostendens *χαμαιλέων ἀνθοῦσα* falsum esse, cum *χαμαιλέων* sit masculini generis, Wesselii coniecturam reppulit: haud dubie *νήθουσα* retinendum est, 'cum tot reperiantur in his papyris herbae, quas alicunde non novimus.'

παιδέρως] est herba; cf. Paus. II 10, 5.

ἆρις] cf. Hesych.: *ἆρις· εἶδος βοτάνης* et Galen. (ed. Kühn) XIX p. 85: *ἆρις· οὐ μόνον τὸ ὄργανον, ἀλλὰ καὶ βοτάνη τις οὕτως ὀνομάζεται.*

vs. 47. *γλαυκός]* papyrus exhibet *γλαυκης*, quod Herwerden in *γλαυκός* correxit; exspectatur enim res magica, quae non tam ad hominem, quam ad animal vel ad plantam spectat.

γυνή hic eodem modo atque in versu 44 *παρθένος* adhibetur; cf. Aristot. Pol. II 3: *Εἰσὶ δέ τινες καὶ γυναῖκες καὶ τῶν ἄλλων ζώων, οἷον ἵπποι καὶ βόες.*

In huius versus quarta sede anapaestus reperitur, quem Herwerden quoque et Wessely agnoscunt.

vs. 48. *σφιγγός]* de hoc animali cf. Solin. 27 in fine (ed. Th. Mommsen p. 128, 7): 'inter simias ha-

bentur et sphinges, villosae comis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis oblivionem.'

φύσις] hic esse *αἰδοῖον* Herwerden recte adnotavit; cf. vs. 318 et 2659.

θεωρουμένη] ita pap.; Wessely falso legit *θωρουμενη*. *ε* et *ω* synizesi in unum coniungenda sunt ut in versu 69; cf. Fr. D. Allen, 'Greek versification in inscriptions', Boston 1888, p. 102 sq. — Pro *θεωρουμένη* Wessely posuit *πηρουμένη*; sed Herwerden suo iure illud retinuit explicans hoc modo: 'simia sic posita, ut eius *αἰδοῖον* conspiciatur'. *θεωρούμενος* igitur hic significatu 'visibilis' adhibetur similiter atque *ὁρώμενος*; cf. Plat. Parm. 130 a: *ὥςπερ ἐν τοῖς ὁρωμένοις διήλθετε.*

vs. 49. *μου]* sic pap.; Herwerden et in hoc versu scribit *μοι* pro *μου*; sed cf. adn. ad vs. 42.

σύμβολον] Herwerden dubitat, an *σύμβολον* papyri lectio in *σύμβολα* corrigenda sit. At singularis numerus confirmatur versu 42, in quo, etsi complures res afferuntur, tamen singularis *σύμβολον* adhibetur, et versu 71, quo *σημεῖον* in simili usu est.

πνεύματος] *πνεῦμα* hic 'vim magicam' videtur significare; similiter hoc vocabulum adhibetur pap. Lugd. V ed. Dieterich p. 812 vs. 15: *ἠκούσθη μου τὸ πνεῦμα ὑπὸ πάντων θεῶν ταὶ δαιμόνων*, ad quem locum R. Reitzenstein, 'Die hellenist. Mysterienreligionen' 1910 p. 138 sq. adnotat: 'Das Wort *πνεῦμα* bezeichnet hier das Gebet, das (zauberkräftige) Wort'; cf. ibidem p. 136 sq. de *πνεῦμα* voce papyrorum magicarum.

vs. 50. Sententia huius versus perspicua est: magus minatur vincula, quibus elementa continentur, diruptum iri i. e. omnia in primordiale chaos denuo conversum iri, id quod versu 51 sq. fusius disseritur.

vs. 51. *καὶ κρύψει]* metri causa Wessely et Her-

werden mutant in *κρύψει τε*; sed illud non minus quam hoc metro convenit; cf. infra extremam partem huius opusculi.

σὸν φῶς] Herwerden ratus *σὸν φῶς* esse corruptum proposuit *ϑ' ἑὸν φῶς*. Etsi concedendum est id facilius intellectu esse, tamen mutare non audeo, praesertim cum *σὸν φῶς* stabiliatur sequentis versus verbis *σὴν οἰκουμένην*. *σόν* enim eum in modum intellegi potest, ut Luna lucem a Sole mutuam accepisse putetur; cf. vs. 22: *ἡλιωτίδος τροφοῦ χρήζουσα Μήνη*. Sin autem Sol deficit, item deficit Luna.

πρὸς τὸν νότον] Herwerden adnotat ad haec verba: 'At ne sic quidem intellego, cur Sol id meridiem versus facere (sc. solem non amplius mundum illustraturum esse) dicatur'. Causa incerta est; fortasse de fabulosa regia Solis in meridiem spectante hic cogitandum esse Wuensch me docuit. — Cum hoc versu cf. versum 33: ut hic defectus lunae sic illic solis dicitur. Haec efficere semper summae potentiae magi esse putabatur; cf. Hippocrat. de morb. sacr. I p. 591 (ed. Kühn): *σελήνην τε καϑαιρεῖν καὶ ἥλιον ἀφανίζειν* (v. Apul. Met. III 16; I 3) . . . *καὶ τἄλλα τὰ τοιουτότροπα πάντα ἐπιδέχονται ἐπίστασϑαι.*

vs. 52. *Τηϑύς]* uxor Oceani (cf. Aristot. Metaph. I 3 p. 983b), est dea maris: magus igitur in hoc versu diluvium minatur.

κουφίσει] sic pap. Wessely ponit *κουφιεῖ* usitatiorem formam, id quod non probandum est, cum etiam formae futuri in *-ίσω, -ίσεις* sim. desinentes interdum in codicibus (cf. Kühner-Blass I 2 p. 107) et in inscriptionibus reperiantur; velut Meisterhans affert formam *περιενκεντρίσει* (IG II 197, 62) et in epigrammate Graeco (Kaibel ep. gr. 95, 7) legitur *κομίσεσϑαι*. — Totum versum Herwerden mutare vult hoc modo: *Τηϑύς τε τὴν γῆν νοσφιεῖτ' οἰκητόρων*. At id plane

superfluum est: nam praeterquam quod verba tradita vi afficiuntur, vocabula restituta eadem quae illa significant, quod elucet ex Eur. Hel. 38 sq.: *πόλεμον γὰρ εἰσήνεγκεν* (sc. ὁ Ζεύς) *Ἑλλήνων χθονὶ καὶ Φρυξὶ δυστήνοισιν ὡς ὄχλου βροτῶν | πλήθους τε κουφίσειε μητέρα χθόνα.*

vs. 53. *Αἰὼν κραδαίνει]* pap.; Herwerden *αἰθὴρ κραδαίνετ'* scribere vult ratus verba tradita esse 'ab sensu'. Sed *Αἰῶνα* deum esse, qui in theologia antiquitatis omnibus deis praeerat, docuit Fr. Cumont. 'Textes et monuments figurés rélatifs aux mystères de Mithra' I 74 sq. Identidem hic deus in papyris magicis commemoratur ut pap. Leid. W XXIII 16: *ἄκουε μέγας, μέγας Αἰών, θεὲ κτλ.*: pap. Par. 520: *τὸν ἀθάνατον Αἰῶνα καὶ δεσπότην τῶν πυρινῶν διαδημάτων.* Porro observandum est *Αἰῶνα* hic multo melius in conexum quadrare quam illam coniecturam Herwerdeni. In sequente versu enim *Κρόνος* appellatur, cui *Αἰών* persimilis est; cf. Fr. Cumont. 'Les mystères de Mithra' p. 81. Neque quicquam offensionis habet, quod hic praesens tempus adhibetur: recte Herwerden ostendit in hoc carmine poetam mox a futuro *κινήσεται* statim transire ad perfectum *πέφευγ'* et praesens *ῥίπτουσι*. Obiectum quidem verbi *κραδαίνει* est idem atque vocis *κουφίσει*: conferre licet Aesch. Prom. 1046: *χθόνα δ' ἐκ πυθμένων | αὐταῖς ῥίζαις πνεῦμα κραδαίνει.*

κινηθήσετ'] papyrus *κινηθησεται* exhibet. Scilicet scribendum est *κινηθήσετ'*; vide v. c. Aristophanem Θεσμ. 916: *κλαύσετ' ἄρα νὴ τὼ θεώ.* Cf. Kühner-Blass I 1 p. 237 sq. Quamvis *αι* eliso in quarto pede spondeus fiat, tamen Wesselium et Herwerdenum, qui illum tollentes scribunt *οὐρανὸς κινήσεται*, non sequor, quia spondeum etiam sedibus paribus admitti identidem vidimus.

vs. 54. *σοῦ τὸν νοῦν βεβιασμένον]* papyrus habet *τον βεβιασμενον σου νουν*, quod metro repugnat, cum ultimus pes sit spondeus. Wessely id corrigere conatus est hoc modo: *σοῦ τε νοῦν βεβιασμένον*, sed iure Herwerden vituperat illud *τε* ('absurda est vocula *τε* illo loco posita'). Ceterum et is errat existimans verba tradita inepta esse, immo haec defendi possunt; *βεβιασμένον* participium enim usitato significatu (i. e. 'domitum') intellegendum et ad *νοῦν* (sc. Hecatae) referendum est, qui magi *ἀνάγκῃ* domitus est. — Versus duplici modo restitui potest: aut scribendo *σοῦ βεβιασμένον νόον* aut sine mutatione verborum *σοῦ τὸν νοῦν βεβιασμένον*, quod iam A. Dieterich spondeum quarti pedis admittens proposuit (Abraxas p. 76).

vs. 55. *εἰς]* pap.; *ἐς* scribunt editores, quae quidem mutatio eo commendari videtur, quod hoc modo spondeus in altera sede versus tollitur, tamen non necessaria est. Cf. infra p. 123 sq. — In hoc et versu 64 nota fabula certaminis *Κρόνου* et *Διός* tangitur; hanc vero depravatam deformatamque esse Dieterich l. c. ostendit, ubi dicit *Κρόνον* factum esse *Ταρταροῦχον* et regem inferorum; qua de causa eum a magis libenter invocari solitum esse. Cf. infra ad vs. 64.

vs. 56. *ῥίπτουσιν]* pap. *ριπτουσι* sine *ν* paragogico, quod metrum flagitat. Ceteris in rebus versus incorruptus est: quamquam is ab usitata forma trimetri eo discrepat, quod et alter pes est dactylus et quartus spondeus, tamen mutare non licet. Nam spondeum sedibus imparibus permitti satis statutum est et dactylus huius versus altero loco reperitur ut quarto loco vs. 33. Praeterea editores, qui et spondeum et dactylum tollere student, verba tradita tantopere violant, ut eis assentire non possim. Illa autem sic intellegenda sunt: Parcae filum tuum decidunt abiciuntque i. e. vitae tuae finem faciunt.

vs. 57—58 in papyro sic traduntur: *αν μη μαγειης της εμης αναγκασης βελος πετηνου ταχυτατον τελος δραμειν*. In his nihil nisi *πετηνου* corruptum est: quae vox cum haud dubie ad *βέλος* spectet, levissima mutatione corrigitur in *πετηνόν*. N et Y quidem facillime in scriptura commisceri posse demonstrat etiam vocabulum sequens *ταχύτατον*, cuius ultimam litteram Wessely primo (in editione) Y esse putavit, cum in papyro certe legatur *ταχυτατον*. — Ceteris in rebus omnia integra sunt (de coniecturis Wesselii et Herwerdeni cf. app. crit.). Poetice est enim hic dictum, quod in prosa oratione sic fere dici potest: *ἐὰν μή μοι τοῦτο τὸ πρᾶγμα τελέσῃς*, quae formula persaepe in papyris reperitur: cf. vs. 2565 sq.: *καί μοι τόδε πρᾶγμα τέλεσσον*, vel pap. mus. Brit. CXXI 654: *τέλεσόν μοι τοῦτο τὸ πρᾶγμα*. Intellegendum est igitur *βέλος μαγείης* tota actio magica, quae tamquam telum in hostem mittitur. — *τέλος* accusativo nudo hic id significatur, quod telo petatur; cf. Il. *E* 290/91: *βέλος δ' ἴθυνεν Ἀθήνη | ῥῖνα* et Eur. Med. 920/1: *ἥβης τέλος μολόντας*. Quale vero sit *τέλος*, ad quod *βέλος* veniat, elucet ex versibus 6/7, 78/9, 80: homo a dea interficiatur. — Praeterea adnotandum est adiectivum *ταχύτατον* pro adverbio *τάχιστα* positum esse ut Pind. Ol. I 77 (O. Schröder): *ἐμὲ δ' ἐπὶ ταχυτάτων πόρευσον ἁρμάτων*.

Post versum 59 in papyro leguntur haec: *ο δει σε γενεσθαι μη σ ατην αναγκασης ανωθεν εις ανωθεν ακουειν συμβολον*. Certe haec verba corrupta sunt; si quem sensum exsequi velis, scribendum est: *ὃ δεῖ γενέσθαι· μή τ' Ἄτην ἀναγκάσῃς ἄνωθεν εἰςακούειν σύμβολον*. — *σε* enim post *δεῖ* absurdum; fortasse autem pronomen versui antecedenti reddendum est, in quem post *φυγεῖν* bene inseri potest. — *σ* ante *ατην* nil nisi accusativus pronominis personalis al-

terius personae i. e. *σέ* esse potest, cum *υ* vocalis numquam elidatur (cf. Kühner-Blass I 1 p. 239). Cum vero duo accusativi *σέ* et *Ἄτην* tolerari non possint, papyri verba prava esse apparet. Itaque aut *σ'* mutandum in *τ'* aut *Ἄτην ἀναγκάσῃς* corrigendum in *Ἄτη ἀναγκάσῃ*. Sed hoc longius abest neque genuinum videtur. — Nullo modo tolerari potest *ἄνωθεν εἰς ἄνωθεν*; cum vero *ἄνωθεν* alterum ex alio vocabulo corruptum esse verisimile sit et *σύμβολον* genetivum attributum postulet (cf. vs. 49), Wuensch recte videtur coniecisse *αὐτῶν* (sc. *τῶν λόγων*), ut vs. 61 fiat hic: *ἄνωθεν αὐτῶν εἰςακούειν σύμβολον*. Vs. 60 autem ea ratione cum antecedenti conexus est, ut verba *ὃ λόγων ἐμοῦ δεῖ γενέσθαι* ad *μοῖραν* explicandi causa adiuncta sint, et cohaerentia sententiarum (vs. 59—61) est haec: tibi verbis meis obsequendum est; noli contumacia tua me cogere *σύμβολον* proferre, ne *Ἄτη* hoc audiat teque puniat.

ἄνωθεν] Ἄτη enim daemon apud inferos agit; cf. Aesch. Choeph. 382 sq.: *Ζεῦ Ζεῦ, κάτωθεν ἀμπέμπων ὑστερόποινον Ἄταν.*

vs. 63. *ἀχρείου φωτός]* est genetivus explicativus spectans ad *μοῖρα* (ut Eur. Suppl. 715: *ὅπλισμα δεινῆς κορύνης*); *μοῖρα* enim in eo consistit, quod *πρᾶξις μαγική* lucem Lunae inutilem efficit, qua re dea punietur, nisi mago obsecuta erit. — Spondei pedis alterius tollendi causa Wessely et Herwerden verba transposuerunt scribentes *φωτός τ' ἀχρείου* vel *φωτὸς δ' ἀχρείου*, id quod non necesse est; cf. infra p. 123 sq. Quod Wessely versum 62 ante versum 61 posuit, non magis necessarium est.

καταλάβῃ] καταλαμβάνειν hic valet 'capere, assequi' ut Plat. Leg. VII 814 D: *ἀνάγκη κατείληφεν.*

vs. 65. *δεσμοῖς τοῖς Κρόνου]* haec vincula commemorantur etiam hymn. orph. 13, 3: *δεσμοὺς ἀρ-*

ῥήκτους ὃς ἔχεις κατ' ἀπείρονα κόσμον | αἰῶνος Κρόνε παγγενέτορ.

πόλον] cf. R. Wuensch, Ant. Zaubergerät aus Pergamon p. 11. 25.

vs. 66. *στυγνῇ τ' ἀνάγκῃ]* papyrus exhibet *και σπινγι αναγκη.* — *σπινγι* absurdum; *στυγνη* recte Wesely non legit, sed restituit. v. etiam versum 8. Ceterum verba *καὶ στυγνῇ ἀνάγκῃ* cum metro pugnant; itaque ille vir doctus, quem Herwerden secutus est, recte scripsit *στυγνῇ τ' ἀνάγκῃ*, quod eo magis probandum est, quia hiatus inter *στυγνῇ* et *ἀνάγκῃ* tollitur; hiatus qui est inter *στυγνῇ* et *ἀντίχειρα* caesura excusatur.

ἀντίχειρα] Herwerden quaerit: 'Quid quaeso hic sibi volt *ἀντίχειρα*?' *ἀντίχειρ* est symbolum deae ut *κλείς* al. (cf. vs. 31: *κλεῖδα κρατῶ*), quod qui tenet, deam ipsam cogere potest. Quod hic *ἀντίχειρ* commemoratur, sententia est haec: qui pollicem tenet, manum tenet et ad agendum non idoneam facit.

κρατῶ] hic valet 'continere'; cf. vs. 2113 sq.: *κρατῶν τῇ δεξιᾷ ῥάβδον* vel vs. 2119 sq.: *Ἑκάτη τριπρόσωπος ἑξάχειρ κρατοῦσα ἐν ταῖς χερσὶν λαμπάδας.*

vs. 67. In papyro leguntur haec: *ου γεινεται αυριον ει μη γενηται ο βουλομαι*, ex quibus verbis Herwerden versum restituere non vult, sed iure Wesely id tentavit scribens: *οὐκ αὔριον γένηται, νῦν ὃ βούλομαι.* Textum qui traditur corruptum et verba spuria postea addita esse apparet; nam ut verba tradita omnia unum in versum intrudantur, fieri non potest; praeterea eandem formam verbi *γίγνεσθαι* in hoc versu bis positam fuisse non verisimile est. Itaque cum Wesselio verba *ει μη γενεται* deleo. Quid reliqua verba velint, perspicuum est; sensus enim est hic: 'neque fieri potest, ut cras fiat, quod volo'.

Certa sunt haec: ὃ βούλομαι finis trimetri, αὔριον, particula negativa οὐ sive οὔτε, verbum γίγνεσθαι; praeterea sententia postulat adverbium νῦν, quod etsi non plane certum est, tamen Wesselium secutus in versum recepi. Porro γεινεται videtur indicare primo in hymno fuisse δεῖ γενέσθαι, quae vocabula in unum contracta depravata sunt; itaque versum sic constitui οὔτ' αὔριον, νῦν δεῖ γενέσθ', ὃ βούλομαι.

vs. 68. τῷ θεῶν ἀρχηγέτῃ] Herwerden putat pro τῷ θεῶν ἀρχηγέτῃ rectius scribendum esse τῷ μάγων ἀρχηγέτῃ, quod epitheton Mercurii legitur in versu 45; sed hoc in textum recipere ne ille quidem audet. Immo verbum traditum est retinendum; nam ut Hecata mundi regina ita Ἑρμῆς - Thot summus rex deorum invocatur. Cf. pap. Leid. W ed. Dieterich p. 189 vs. 22 sq.: Σὲ μόνον ἐπικαλοῦμαι, τὸν μόνον ἐν κόσμῳ διατάξαντα θεοῖς καὶ ἀνθρώποις . . . Θαΰθ et Wessely Denkschr. 1893 p. 55 vs. 20: μέγιστε τῶν θεῶν ἁπάντων.

vs. 69. εἰς τήνδε πρᾶξιν] papyrus praebet εις τηνδε την πραξιν; cum metrum flagitet, ut una syllaba deleatur, eiciendus est articulus, qui et facile deesse potest et a magicis compilatoribus saepius additus est; cf. hymn. mag. εἰς Τυφῶνα 15 (v. R. Wuensch Seth. Verfl. Taf. p. 91), ubi papyrus exhibet ταύτην τὴν χάριν, metrum postulat ταύτην χάριν.

φήμην ἔχω] Wessely et Herwerden verba papyri sic transponunt: ἦ μήν σ' ἔχω; nam ἦ μήν maxime in initio sententiae esse neque σ' et ἦ componi solet, quippe quod facile cum pronomine possessivo σή commisceri possit. Sed et lectio papyri et coniectura editorum reiciendae sunt, immo scribendum est, quod sententia flagitat: φήμην (hoc Wuensch suspicatus est); nam per famam magus cognitum habet illud: ἔνευσας Ἑρμῇ κτλ.

vs. 71. Posterior pars versus in papyro sic traditur: *ειτα καγω σε*, quae verba metro obstant. Qua de causa Wessely scribit *κἀγὼ εἶτα σε*. At hiatus vix ferri potest; hunc quidem tollit Herwerden, sed sensum circumflectit scribens: *κἀγὼ ἔπεισά σε*. Ego pro *εἶτα* scripsi, quod proximum est, *ἔπειτα* et verba sic posui: *κἀγὼ ἔπειτά σε*, in quibus litterae *ω* et *ε* synizesi coniungendae sunt; cf. Soph. Phil. 585: *ἐγώ εἰμι*.

vs. 72. *ἐρῶ σημεῖον]* papyrus habet *σημειον ερω*, quod metrum vetat, cum in tertio pede desit syllaba longa. Wessely et Herwerden versui mederi conati sunt ponentes pro *ἐρῶ* verbum *αἴρω*; neque vero vocem *ἐρῶ* tangere licere ex his locis apparet: pap. Mim. 229 sq.: *εἴρηκά σου τὰ σ⟨ημ⟩εῖα καὶ τὰ παράσημά σου* et pap. mus. Brit. CXXI 853: *εἴρηκά σου τὰ σημεῖα καὶ τὰ σύμβολα*. Quam ob rem *ἐρῶ* retinetur et aut post *σημεῖον ἐρῶ* suppletur *σου* aut ponitur *ἐρῶ* ante *σημεῖον*; hoc iam A. Dieterich 'de hymn. Orph.' p. 44 fecit.

χάλκεον τὸ σάνδαλον] cf. de hoc symbolo A. Dieterich ibid. p. 43 sq.

vs. 73. *στέμμα]* licet illo loco ad vs. 40 allato *σημεῖον* Lunae afferatur *στέλμα*, in hymno *στέμμα* mutare non licet.

κηρύκιον] est symbolum et Mercurii (cf. vs. 261) et Lunae; cf. adnot. ad vs. 40: *στέλμα κηρύκιον*.

vs. 74. In papyro leguntur haec: *ρομβος σιδηρους και κυων κυανεος*. Metrum videtur turbatum esse; nam vocis *κυάνεος* prosodia non quadrat. Difficultas ultimis vocabulis transpositis et pro *σιδηρους* forma *σιδήρεος* scripta tolli potest, qua ratione coniectura Dieterichi (qui vs. 71—76 in Abraxa p. 35 affert) *κυανόχροους* superflua fit. Observandum est in hoc versu caesuram fieri post tertium pedem aeque

atque vs. 24 et 80. — De turbine cf. supra adn. ad vs. 34. *κύων* Hecatae sacer est (cf. Roscheri l. m. I 2 col. 1909); *κυάνεος* dicitur, quia inferorum color est ater (cf. P. Stengel, Opferbräuche der Griechen p. 135).

vs. 75. *κλεῖθρον τρίχωρον]* i. e. claustrum habens tres *χώρους*; qui intellegendi sunt loci depressi repaguli, in quos *βάλανοι* claustri imponebantur claudendi causa; cf. H. Diels, Parmenides p. 141 sq.; vid. etiam clavem magicam apud R. Wünsch, 'Ant. Zauberger. a. Pergamon' p. 24 sq.

ἐσχάρα] Hecata in foco succenso (non exstincto, quam ob rem *πυρουμένη* participium additum est) inesse putabatur; cf. Eur. Med. 396: *Ἑκάτην μυχοῖς ναίουσαν ἑστίας ἐμῆς*.

vs. 77. *φόβους]* pap. *φοβουσα*, quod vocabulum hic mirum est, quoniam furiae daemonesque Hecatae comites ipsi terrorem iniciunt; itaque fortasse scribendum est non verbum *φοβοῦσ'* sed *φόβους* substantivum, quod egregie concinit cum sequentibus vocabulis *δαίμονας τεραστίους*; cf. hymn. orph. III 14: *φόβους δ' ἀπόπεμπε νυχαυγεῖς*; vid. de hoc daemone L. Deubner, 'Phobos' in: 'Mitteil. d. Kaiserl. Deutsch. Arch. Inst.', Athen. Abt. XXVII (1902) p. 253 sq. Si hoc verum est, accusativos *φόβους*, *Ἐριννῦς*, *δαίμονας* trahit substantivum antecedentis versus *σημάντρια*, id quod raro fit, tamen interdum invenitur; cf. Kühner-Gerth II 1 p. 296 adn. 4; exempli gratia afferam Aesch. Choeph. 22 sq.: *Ἰαλτὸς ἐκ δόμων ἔβαν | χοὰς προπομπὸς ὀξύχειρι σὺν κόπῳ*. Id eo explicatur quod *σημάντρια* nomen actoris non multum abest a participio *σημαίνουσα*.

τεραστίους] pap. *τ ερασπιους*. Wessely et Herwerden scribunt *τ' ἐραστίους*, quod adiectivum quasi novum hic in 'lexico suppletorio et dialectico' sic ex-

plicat: 'Si sana lectio, fortasse prave formatum est vocabulum ex *ἔραζε*, ut intellegendum sit *δαίμονάς τε νεοτέρους*', et Dieterich *εραστιους* corruptum esse ratus coniecit *ἐπαιτίους*. Sed et hoc et illud reiciendum est; immo littera *τ* ad *εραστιους* adiecta scribendum est *τεραστίους*, daemonum epitheton aptissimum.

vs. 78. *εἰσῆλθας]* haec forma alexandrina identidem in Novo Testamento legitur; cf. Mth. VIII 32: *οἱ δὲ ἐξελθόντες ἀπῆλθαν* vel XI 9: *ἀλλὰ τί ἐξήλθατε*. — Hoc versu spondeum etiam sedibus imparibus admitti luce clarius demonstratur; ne Herwerden quidem mutationem textui inferre ausus est.

vs. 79. *τῷ δεῖνα, ἐχθρῷ]* sic pap. et Wessely. Herwerden, qui hiatum vituperat, scribit *τῷ δεῖν' ἅτ' ἐχθρῷ*; neque vero quidquam addere audeo, cum hiatus excusari possit mora, quae interpunctione significatur. — Magus deam vi cogere, quia periculosum est, evitare studet, si, quae appetit, alio modo assequi potest. Itaque interdum *διαβολή* quae dicitur adhibetur; quae in eo consistit, quod magus eum, cui nocere studet, calumnians inimicum numinis esse atque eius potentiam despicere dicit: velut hoc hymni loco legitur *τῷ δεῖνα, ἐχθρῷ τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν* vel in defixionis tabella (DTA praef. XIV col. II): *παράλαβε Νεικομήδην ... τόνδε τὸν ἄνομον καὶ ἀσε[βῆ], ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ καύσας τὸν παπυρῶνα τοῦ Ὀσίρεως καὶ φαγὼν τὰ κρέα τῶν ἰχθύων.* Longior *διαβολή* servata est pap. Par. 2574 sq. (v. Wessely p. 31).

vs. 80. Wessely huius versus vocem *Ἡλίου*, Herwerden totum versum deleverunt; at utrumque ratione caret. Immo verba tradita retinenda sunt metrumque eo modo restituendum est, ut pro *καί*, quod saepe cum *τέ* confundi iam Kaibel ep. gr. ad 344,10 observavit, post *συνεύνου* ponatur *τ(ε)*, qua ratione simul hiatus, qui hoc loco vix excusari potest, tolli-

tur. Reliquis in rebus illa nil offendunt; monendum est vero *Ἡλίου* vocem dactylum efficere; *ου* diphthongus enim ante vocalem corripitur. Ad sensum quidem *Ἡλίου* egregie quadrat, cum hic *Ἥλιον* et *Ὄσιριν* deos, *Σελήνην* et *Ἶσιν* deas aequari manifestum sit.

vs. 81. *εἴσβαλ'*] pap. *εισβαλε*. Ceteris in rebus versus est incorruptus. Herwerden quidem et hiatum (*σοι εἴσβαλ'*) et structuram vituperat; 'Graece enim' inquit 'noto usu dicitur *εἰσβάλλειν* sive *ἐμβάλλειν εἰς κακόν* sive *κακῷ*, sed nemo unquam dixit *κακὸν εἰςβάλλειν εἴς τινα*, ut arbitror'. At hiatus caesura excusatur, et quod ad locutionem *κακὸν εἰςβάλλειν εἴς τινα* pertinet, observandum est *κακόν* hic non significare 'malum' generatim, sed *κακόν* esse certum casum adversum demonstrari sententia relativa: *οἷον λέγω σοι*; *κακόν* igitur quasi telum in adversarium iacitur, cf. supra adn. ad vs. 58. Hoc sensu si illa verba intelleguntur, bene explicatur, cur locutio *κακὸν εἰςβάλλειν* non cum dativo absoluto, sed cum praepositione *εἰς* c. acc. coniuncta sit, qua teli cursus dilucide significatur. Itaque nihil dubito, quin *εἰςβάλλειν κακὸν εἴς τινα* recte dicatur velut Her. I 14: *ἐσέβαλε μέν νυν στρατιὴν καὶ οὗτος . . . ἔς τε Μίλητον καὶ ἐς Σμύρνην*.

vs. 82. *σου*] pap. *σα*; metri causa scripsi *σου*; cf. vs. 12: *ὅτι οἶδά σου τὰ φῶτα*, et pap. Mim. 316 sq.: *ὅτι οἶδά σου τὰ ἅγια ὀνόματα καὶ παράσημα*.

vs. 83. *σεμνά, οἷς*] hiatus a caesura excusationem habet.

φωτίζετ'] pap. *φωτιζεται*; cf. adn. ad vs. 12 et 40.

vs. 84. *γαῖα πίνει*] cf. Anacr. 21 (Anthol. lyr. ed. Hiller-Crusius): *ἡ γῆ μέλαινα πίνει*. — Lunam rorem largiri opinio vulgaris erat; cf. Nonn. Dion. 40, 376: *δροσόεσσα σελήνη*; multa de hac re invenias in Roscheri myth. lex. II 2 col. 3148.

κυοφορεῖ] in papyro legitur vocabulum mutilatum *κοιοφορ*; ut id nomen arcanum sit, fieri non potest. Tentandum est vocem genuinam restituere. Certum est in hoc vocabulo latere radicem *φερ-* vel *φορ-*; finem vocis truncatum esse non mirum, cum haec in fine versus posita sit. Videtur verbum fuisse cadens in *-φορεῖ*; antecedens pars nihil nisi *κυο-* (*οι* et *υ* enim hoc tempore idem; cf. Mayser l. c. p. 110 sq.) potest fuisse, ut ultima vox versus sit *κυοφορεῖ*, quod iam Kroll l. c. coniecit. Confirmatur haec coniectura pap. mus. Brit. XLVI vs. 155 sq.: *ἐγώ εἰμι, οὗ ἐστιν ὁ ἱδρὼς ὄμβρος ἐπιπίπτων ἐπὶ τὴν γῆν, ἵνα ὀχεύῃ.* Quo modo autem hic versus cum praecedenti cohaereat, elucet ex pap. versu 1609 sq.: *ἐπικαλοῦμαί σου τὰ ἱερὰ καὶ μεγάλα καὶ κρυπτὰ ὀνόματα, οἷς χαίρεις ἀκούων· ἀνέθαλεν ἡ γῆ σοῦ ἐπιλάμψαντος καὶ ἐκαρποφόρησεν τὰ φυτὰ σοῦ γελάσοντος, ἐζωογόνησε τὰ ζῶα σοῦ ἐπιτρέψαντος.*

vs. 85. Post *αὔξεται* traditur in papyro *τε*, quod cum metro obstet, tollendum est.

De compositione hymni

Hic hymnus vere magicus, qui in papyro *δέλτος ἀποκρουστικὴ πρὸς Σελήνην* inscribitur, orditur a salutatione deae facta: *χαῖρε*, quae maioris ponderis causa in initio versus 2 repetitur. Haec est vetustissima carminum sacrorum consuetudo; nam in omnibus fere hymnis Homericis ab hac formula incipit precatio, quae eadem interdum concludit hymnum ut hymn. XXXII 17 sq.: *χαῖρε ἄνασσα θεὰ λευκώλενε, δῖα Σελήνη, πρόφρον ἐϋπλόκαμος* (alia exempla vid. Fr. Adami l. c. p. 236), atque simillime Herondas mimiambi quarti initium sumit a salutatione: *χαίροις ἄναξ Παίηον, ὃς μέδεις Τρίκκης κτλ.* Subsequuntur *ἐπικλήσεις*, quae magum cognitum habere ostendunt,

qualis sit deae natura. Salutatione appellationibusque praemissis versu 4 pronuntiatur deam audire debere: *καλέσω κἀκούσῃ μου τῶν ἱερῶν λόγων*; qua de causa deam obsequi necesse sit, versu 5 exponitur: *Ἀνάγκη* enim eam cogit. Invocationem versu 6 *ἐλθέ* formula usitatissima (cf. Fr. Adami l. c. p. 235 sq.) leviter tactam preces ipsae subsequuntur: *βοίμασον τὴν δεῖνα*, quae in sequentibus iterantur atque disertius versu 77 sq. proferuntur. Quamquam autem *Ἀνάγκη* adest, tamen magus deam sua sponte obsequi mavult. Itaque, ut preces non coacta audiat, eam ille vs. 8—16 movet his argumentis: fieri non posse, quin Luna illud faciat; nam nisi sua sponte dea sibi obsequatur, se eam coacturum esse (vs. 8, 11, 15, 16, 39, 61); deinde Lunae illud faciendi facultatem datam esse, cum *Κλωθώ* deam adiuvet (vs. 7). Tum magum duodetriginta *φῶτα τῆς Σελήνης* (vs. 12) novisse comperimus, qua re ille his ipsis potitur; quae sint haec lumina, cognoscas ex versu 40 sq., quo nomina illorum enumerantur (*ἵππος, κόρη κτλ.*). Quanti ponderis hoc argumentum sit, ex eo intellegas, quod iterum vs. 81 sq. affertur: *ὅτι οἶδά σου τὰ καλὰ καὶ μεγάλα ὀνόματα σεμνά, οἷς φωτίζετ' οὐρανός*. Postremo magus deam de ratione commonet, quae intercedit inter ipsum et illam, cuius *καλῶν πραγμάτων μυσταγωγός, ἐπόπτης καὶ συνίστωρ* sit; quomodo *καλῶν* hic intellegendum sit et quae sint illa *καλὰ πράγματα*, ex carmine, quod inscribitur *διαβολὴ πρὸς Σελήνην* (vs. 2594 sq.), cognoscitur, ubi verba sunt haec (cf. Wessely, Denkschr. XXXVI p. 31): *κτανεῖν γὰρ ἄνθρωπόν σ' ἔφη, πιεῖν τὸ δ' αἷμ' ἀνθρώπου κτλ.* — *Καλῶν πραγμάτων* igitur ironice pro *κακῶν πραγμάτων* dicitur; quae cum magus noverit, hac re arcana cum dea coniunctus summo iure sperat eam veritam, ne illam rem ipse palam faciat, petita effecturam esse. Itaque ille confidenter dicit: *τὸ*

δεῖνα ποιήσεις, κἂν θέλῃς κἂν μὴ θέλῃς (vs. 16). Inde a versu 17 invocatio ipsa incipit (—vs. 26). Sed haec pars male cum antecedentibus, male cum sequentibus convenit; in versu 6 enim dea iam invocata est: *ἐλθέ*; idem fit versu 22: *ἔγειρε σεαυτήν* et versu 25: *ἧκ' ἀκτὶ θοή*. Praeterea quae dicuntur enuntiatis relativis (vs. 18—21), vs. 31—33 repetuntur: vs. 18: *ἐν ᾗ τὸ σὸν φῶς ὕστατον χωρίζεται* ~ vs. 33: *καὶ νύκτα τὴν ἄωρον παρέδωκα σκότει*; vs. 20/1: *ἐν ᾗ τὸ κλεῖθρον ἠνέῳγε ταρτάρου*, | *ἐν ᾗ προλυσσᾷ Κέρβερος κεραύνοπλος* ~ vs. 32: *ἤνοιξα ταρταρούχου κλεῖθρα Κερβέρου*. Denique vs. 27 artius cohaeret cum versu 14; nam illic rursus ratio inter deam et magum intercedens ostenditur his verbis: *δόλον τέ μοῦσαν καὶ φόβον σωτηρίην* | *ἤ σ' οἶδα*. Neque solum magus Lunae *φῶτα* et *καλὰ πράγματα* scit; quin etiam ipse est deus: versu 29 enim personam Mercurii assumit, qua re potentiam huius dei sibi vindicat; cf. (Jambl.) de myster. VI 6: *ὁ θεουργὸς διὰ τὴν δύναμιν τῶν ἀπορρήτων οὐκέτι ὡς ἄνθρωπος οὐδ' ὡς ἀνθρωπίνῃ ψυχῇ χρώμενος ἐπιτάττει τοῖς κοσμικοῖς, ἀλλ' ὡς ἐν τῇ τῶν θεῶν τάξει προϋπάρχων μείζοσι τῆς καθ' ἑαυτὸν οὐσίας ἐπανατάσεσι χρῆται, οὐχ ὡς ποιήσων πάντα ἅπερ διισχυρίζεται, ἀλλ' ἐν τῇ τοιαύτῃ τῶν λόγων χρήσει διδάσκων, ὅσην καὶ ἡλίκην καὶ τίνα ἔχει τὴν δύναμιν διὰ τὴν πρὸς θεοὺς ἕνωσιν, ἣν αὐτῷ τῶν ἀπορρήτων συμβόλων ἡ γνῶσις*. Haec *σύμβολα* et *σημεῖα* vs. 30—48 afferuntur, quorum gravissima sunt *ῥόμβος, κύμβαλον*. Quanti autem momenti illa symbola in magia fuerint, ex eo apparet, quod in hoc hymno bis enumerantur: nam ea pars, quae vs. 30—41 continet, plane respondet vs. 69—76; duae enim partes ab imperativo *ἄκουσον* incipiunt; eadem symbola nominantur: *σάνδαλον, κλείς* (*κλεῖθρον*), *ῥόμβος*; finitur utraque pars nonnullis epithetis. Ut haec pars ex alio

hymno similis generis desumpta posteaque in carmen Lunae inserta sit, fieri potest, neque vero id certum est. Nam saepe numen bis advocatur atque id iterum maiore vi fit (cf. Luc. Phars. VI vs. 695 sq. et 730 sq.). — Symbolis deae enumeratis magus, qua re nihil gravius exstat, *βιαστικὰς ἀπειλάς*, quae dicuntur, profert (vs. 50—62); de quibus conferatur (Jambl.) de myst. VI 5: *ἢ γὰρ τὸν οὐρανὸν προσαράξειν ἢ τὰ κρυπτὰ τῆς Ἴσιδος ἐκφανεῖν, ἢ τὸ ἐν ἀβύσσῳ ἀπόρρητον δείξειν ἢ στήσειν τὴν βᾶριν ἢ τὰ μελη τοῦ Ὀσίριδος διασκεδάσειν τῷ Τυφῶνι ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον ἀπειλεῖ ποιήσειν κτλ.* Simillime in hymno magus minatur et omnem rerum naturam in primordiale chaos conversum iri et deam ipsam interituram esse, nisi ipsi oboediat, atque vs. 63—68 Lunam denuo adhortatur admonetque, ut id faciat, quod effugere non possit. Neque *διαβολὴν* deesse supra ad versum 78 adnotatum est. Postremo ut in exordio hymni *Σελήνη* invocatur *ἐλθέ*, ita in fine confirmatur deam venisse (*εἰσῆλθας, ἥκεις*) et hic aeque atque illic preces emittuntur: *ὀργίσθητι, παρθένε, τῷ δεῖνα, . . . οἷον λέγω σοι, εἴσβαλ' εἰς τοῦτον κακόν.*

De hymni arte metrica

Singulis versibus carminis iambici tractatis videtur esse complectendum, quae ex his, quod ad formam metricam pertinet, efficiantur; itaque paucis exponam et de re metrica et de hiatu eiusque generibus. Quod ad illam spectat, versus trimetri carminis ab versibus poetarum classicorum valde discrepant. Nam spondei etiam in pede altero et quarto reperiuntur, qua re fieri potest, ut complures spondei deinceps sequantur velut tres spondei uno tenore subsequuntur in versibus 4, 15, 51, 56, 63. Spondeos autem altero versus loco invenimus hic: 4, 30, 51, 63;

quarto loco: 4, 8, 15, 32(?), 53, 56, 74, 78, 83. Itidem anapaesti et dactyli omnibus fere versus locis admittuntur praeter ultimum. Anapaesti sunt primo loco: 4, 12, 82; altero loco: 2, 11, 22, 38, 39, 62; tertio loco: desunt; quarto loco: 26(?), 47; quinto loco: 54. Dactyli: primo loco: 80; altero: 56; tertio: 7, 9, 58; quarto: 33; quinto: 84. — Caesurarum frequentissime adhibetur caesura penthemimeres, rarius hepthemimeres; in versu 80 caesura fit post pedem tertium (cf. vs. 24 et 74).

Quod ad hiatum attinet, primum observandum est in papyro elisionem, crasin, synizesin plerumque scriptura indicatas non esse. Neque id mirum est; nam scriptores veteres in ea re plane suo arbitrio usos esse et codices et inscriptiones metricae demonstrant (cf. Allen l. c. p. 126 sq.). Elisionem quidem statuimus his locis: 1, 2: *χαῖρε ἱερόν* (*ἱερά*); 55: *πέφευγε εἰς*; diphthongus *αι* elidenda est 53: *κινηθήσεται οὐρανός*; 83: *φωτίζεται οὐρανός*. — Crasi coniunguntur: 3: *καὶ ἀκούσῃ*; 19: *καὶ οὐ*; 27: *μοι οὖσαν*; 71: *καὶ ἐγώ*. — Synizesis fit inter *ε* et *ω* 48, 70: *θεωρουμένη* (*θεωροῦσα*); inter *ου* et *ε* 31: *σου ἔκρυψα*.

Hiatus ipse non diligenter evitatur, sed plurimis locis aut caesura aut mora excusatur; atque hiatus aut cum caesura semiquinaria coincidit his locis: 2: *αὐγή, ἐκ*; 26: *ἀκτινοχαῖτι, ἰοχέαιρα*; 66: *ἀνάγκῃ ἀντίχειρα*; 81: *σοι, εἴσβαλ'*; 83: *σεμνά, οἷς*; aut cum caesura semiseptenaria: 6: *λύθητι, ἐλθέ*. — A mora, quae sententiae causa fit, hiatus excusationem habet vs. 79: *τῷ δεῖνα, ἐχθρῷ*. Praeterea nonnullis locis hiatus inest, quibus neque caesura neque mora, sed aliis rebus excusatur: 2: *ἱερὰ αὐγή* (cf. supra p. 87): 12, 82: *ὅτι οἶδα* (hic hiatus a poetis Atticis admittitur); 80: *Ἡλίου Ὀσίριδος* (hiatus excusatur nomine proprio); 52: *κουφίσει οἰκουμένην* (hiatus ab arsi excusationem habet).

Arte metrica tractata statuendum est, qua aetate carmen ortum sit. Videmus igitur spondeos paribus sedibus rarissime (cf. supra p. 88) admitti, sed nonnullos in hoc hymno ea re explicari posse, quod vocales longae (sive diphthongi) pro brevibus habitae sunt, ut ᾱ in vs. 4, η in vs. 53, ω in vs. 4. 83, ει in vs. 51, ου in vs. 15. 32. 63, id quod aetate imperatorum Romanorum fieri Meisterhans-Schwyzer l. l. p. 68 (ibidem v. exempla) docent. Itaque hunc hymnum his temporibus confectum esse — atque id aliquanto postea quam carmina Solis et Veneris supra tractata — manifestum est.

Addendum

p. 44 sq. Hanc dissertationem scribens non vidi Reitzensteinium Poim. p. 260 adn. versum 23 hymni Solis sic restituisse: *κλήζω δ' οὔνομα σὸν ὡρῶν Μοίραις ἰσάριθμον* eoque modo explicasse, ut *Μοίρας ὡρῶν* intellegendos esse tres decanos uniuscuiusque horae putaret. Omnem igitur numerum earum esse $3 \times 12 = 36$; quocum bene congruere sequens *ἐφέσιον γράμμα* 36 litteras continens. Etiamsi hic vir doctus mihi non persuasit versum supra p. 44 falso tractatum esse, tamen eius coniectura perpendenda est.

Index capitum

Vita

Bruno Kuster natus sum IX. die mensis mai anni MDCCCLXXXVII in vico Borussiae orientalis, cui nomen est Gillischken, Ludovico et Carolina parentibus. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in schola domestica imbutus a vere anni MDCCCXCVIII gymnasium regium Insterburgense novem per annos adii. Vere anni MCMVII maturitatis testimonium adeptus almam matrem Albertinam petivi studiis philologicis historicis operam navaturus. Docuerunt me viri docti:

Ach, Bezzenberger, Deubner, Goedeckemeyer, Jeep, Krauske, Ludwich, Rossbach, Rühl, Schubert, Werminghoff, Wünsch.

Scholis seminarii philologici per tria semestria interfui *Deubnero, Jeepio, Wuenschio* moderantibus. Ad exercitationes benevole me admiserunt historicas *Schubert* et *Rühl*, archaeologicas *Rossbach*. Quibus viris doctis gratias ago praecipueque *Ricardo Wuensch*, quem doctrina et consilio benevolentissime semper me adiuvisse grato animo profiteor.